DE TOTO EO POEMATIS GENERE, QVOD EPIGRAMMA VVLGO DICITVR,

ET DE IIS, QVAE AD illud pertinent, Libellus.

THOMA CORRAEA AVCTORE.



VENETIIS,
Ex officina Francisci Ziletti. 1569.

AD POTENTISSIMVM D. SEBASTIANVM

Primum Regem Luſitaniæ &c.

THOMAS CORRAEA.

PRINCEPS ingenij, & doctrinae Plato in quinto de rep. felices uocat eas reſp. in quibus aut philoſophi ad clauum imperij ſedent, aut qui gubernacula regni tractãt, philoſophantur: nec iniuria. cum enim a ſapientia tanquam a fonte promanet non modo bene uiuendi ratio, ſed etiam honeſte, & laudabiliter regendi remp. conſilium, & adminiſtratio: hominis autem felicitas hac imbecillitate naturæ, & hac mole corporis detenti in eo ſita ſit, ut honeſta, & turpia diſtinguat, quid expetendum, quid fugiendum ſit, cognoſcat, ſecundum eam cognitionem omnes actiones in uita, functionesq; humanas accommodet, (quoniam ad has duas res natum eſſe ui-

ri ſapientes cenſuerunt) recte diuinus ille philoſophus aut litteratis amandandam eſſe remp. aut ijs qui litteras colant, oportere iudicauit, ut res omnes ſecundas adipiſcerentur. cum enim nihil in rerum natura ſit homini utilius ſapientia, nihil ex rebus omnibus humanis praeſtantius doctrina, planum ſane eſt, nihil etiam eſſe laudabilius docto, & litterato principe, cuius uitam doctrina informet, ipſe totius regni mores componat. Eſt doctrina in quouis amanda, eſt utilis, eſt laude digna; ſed non eodem modo in uiro principe, & qui munia publica obeat, atque eo qui ſe ſe abdat cum Muſis, & intra priuatos parietes cognitionem omnem pertractet. Intereſt enim per multum inter litteratum principem, & doctum priuatum quempiam uirum. Nam ſiquis reperiatur humili, & obſcuro loco natus, qui ſcientijs omnibus animum excoluerit, omni uirtutum cohorte ſit ſeptus, ornamentis quibuſuis ornatus, non tamen eas uirtutes in utilitatem omnium conferre, non eodem modo exercere poteſt, ut uir princeps. Et ſi enim tam optimatibus & principibus, quam tenuibus, & abiectis hominibus ſit commune ſcientiae ornamentum: non tamen actio, & functio ſciẽtia informata ex aequo utriq;

conuenit. Actio enim uirtutum non cadit in quemuis, non conuenit iustitiae moderatio cuicunq;, non liberalitatis, non temperantiae. Campus sit necesse est, in quo euagentur, & excurrant functiones uirtutum. Sint oportet, quibus imperare posis, ut congruenter iustitiae placitis instituas tuas actiones. Sit quod des, desideratur, ut liberalitatem colas: nec illa occasio cuiuis, nec haec facultas datur, ut in officio esse, & tueri tuas partes posis. Formamur omnes a natura ad haec praestãda: fingimur ut quae laudabilia sũt, sequamur sponte nostra ea quoniam non est integris uiribus, sed deprauata, & infirma praeceptis instituimur, ut uoluntatem confirmet ratio, & in eam inducat uiam, qua recta ad omnem itur gloriam. Haec siquis habeat, fortunatum eum ego appellabo, atque eo magis, si huc accesserit, ut affluat fortunae commodis: non quod ad beate uiuendum praesidij ego ponam aliquid in bonis externis. Sic enim uiri consilio, & ingenio praestantes statuunt, uirtutem primum esse bonum, & per se expetendam in uita, non alterius boni caussa quaerendam. Nam qui uirtutem exquirit diuitiarum, aut honorum gratia, is nunquam perfectam laudem adipiscetur. Si uero ipsa merito

suo

ſuo per ſe ſe appetatur, diligatur, ſit in pretio, eam ſane ueram laudem appetenti afferre poteſt. Hunc Deus praeter ceteros amaſſe uidetur, cui eam mentem dederit, ut praeter ceteros ſaperet. Hic nomen ſuum uindicat a tenebris, exemit ex obliuione, immortalitati conſecrat. Hic eſt ex eo genere Heros, quē ardens euexit ad aethera uirtus. Domi uobis Sebaſtiane Rex potentiſsime, domi naſcitur iſta laus, nec foras petenda eſt inſignis haec, & excellens gloria. Hoc patrimonium ceteris ampliſsimis haereditatibus Reges Luſitaniae maiores tui Regiae familiae ueſtrae adiungendū putarunt. cui ſi unquam merito laus iſta tota debetur, debetur ſane uni tibi Sebaſtiane Rex maxime, & debetur iure tuo. Cum enim tibi ad opes quas tibi ſummus Deus eſt elargitus ampliſsimas, non modo in Luſitania tua ſed in bona Mauritaniae Aethiopiae, Americae parte, in ampliſsimis Indiae regnis, in ultimis orbis terminis tuis imperijs regiones ſubiecerit, prope infinitas, nihil fere poſsit accedere, nihil ad maieſtatem regiam, quem Reges potentiſsimi plerique ut principem ſuſcipiant, & colant; ut dominum obſeruent, & uenerentur, & ut amicum diligant, nihil huiuſmodi tamen magni faciendum eſſe pu

taſti;

tasti; si solida uirtute destitueretur. Virtutis amore inflammatus iam inde a tenera aetate totum te studijs bonis consecrasti: ut qui pulchritudinem uirtutis cerneres animo, nec aliud in uita magnopere expetendum duceres. Tantum studio effecisti, & industria, ut quasi regiae maiestatis oblitus, indagandam tibi doctrinam labore & ingenio honestissimum iudicares. Et prima aetate eam imbiberes sapientiã, quae in omni uita tibi comes, regnis tuis esse & futura moderatrix. Itaque quod alij multorum annorum curriculo uix consequuntur, tandem tu natus decimum quartum annum es adeptus; ut & Latinam linguam teneas optime, calleas componendi carmina rationem, in ceteris disciplinis non sis rudis, in mathematicis uero & cum ingenio, nec sine industria uerseris. Assequeris Rex maxime hoc tuo studio uel illud, ut cum omnium regum sis nobilissimus, omnium ad uirtutem accommodatissimus, quorum alterum maiorum tuorum maximis in rebus testata uirtus declarat: alterum tuo Marte comparaueris, ut natura tua nata ad omnem uirtutem, & facta uideatur: Sis idem & habearis omnium doctissimus. Quae laus ceteris tuis praeconijs meo iudicio est anteponenda.

Doctrinam

20

Doctrinam cum dico, uirtutis intelligo comitẽ, & adminiſtram, nec a uirtute ſeparo ſapientiam. Hanc te quia conſecutum iam, aut conſecuturum ſpero aſsiduo iſto audiendi & legendi ſtudio, bo na omnia adeptum eſſe diuina in humana uita exi ſtimo. Tu Sebaſtiane Rex maxime gaude tuo iſto immortali bono, fruere, communica cum tuis, ut eos etiam felicitate tua efficias felices. Nam ita eſt natura comparatum, ut omnes in Re gis, & Principis uitã tanquam in ſpeculum intuea mur: in eius uitae inſtitutum oculos conijciamus, & ad illius ſimilitudinem actiones noſtras, & ra- tionem uiuendi fingamus, & formemus. Rex ſi ſit ad arma propenſus; ſtudium armorum ample ctuntur omnes, & in eo uigilant, laborant, con- tendunt, excellere enituntur, in quo regem ani- matum eſſe animaduertunt. Idem ſi litteras a- met, litterarum ſequuntur omnes exercitatio- nem, & ad uirtutem comparandam ſeſe compo- nunt. Illud maiores tui reges ſuperiores Luſita- niae aperte docuerunt re ipſa: hoc auus tuus Ioan nes tertius immortalitate digniſsimus annis ela- pſis non obſcure oſtendit erecto locis pluribus, magnis impenſis, litterarum gymnaſio, conuoca tis, magnis ſuis ſumptibus, doctoribus cuiuſq; fa-

cultatis

cultatis insignioribus. Armorum studium & si Lusitanae genti cum multis alijs nationib. erat commune, cesserunt tamen Lusitanis Ducibus magni quondam Imperatores, ut illae scriptis celebratae laudes indicãt, ut illa arma quae summum ferocissimis nationibus terrorem metumque incusserunt declarant, ut clara & exornata trophoea illustrium uictoriarum insignia, ut fixa in disiunctissimis terrarũ oris monumenta praedicant, ut pleraque regna multis saeculis ne de nomine nota nostra tempestate tuorum maiorũ diligentia, & tua ita classibus patent, ut ea loca ad quae facilis, & quotidiana est transmissio. Literarum laudem & doctrinae sibi aliae nationes uindicabant, uix ut nationes exterae fieri posse putarent, ut Lusitanus homo clarus in genere aliquo doctrinae euaderet, nec illi posse contingere ut Romanam ciuitatem furari, aut in tabulas irrepere unquã politioris litteraturae existimarent. Sed tantum potuit singularis aui tui liberalitas, & benificentia, ut breui tempore tantam lucem maxima Lusitano nomini doctrina afferret, ut qua re dudum omnibus gentibus aliqua humanitate expolitis inferiores tui credebãtur, ea nunc facile ceteris antecellant. Cogita

 enim

enim Rex potentiſsime, quo animo ille illud Sapientiae domicilium erexerit Conimbricae, quãta auxerit diligentia, quanta benignitate adornarit, quanta ſollicitudine ſemper quae ad illud attinebant, peregerit, quam inſolita non humanitate modo, ſed beneuolentia complexus ſit, quã liberaliter conuocarit, exceperit, aluerit doctores in quouis ſcientiae genere praeſtantes ad iuuentutem erudiendam Luſitanam. Iam reperies illud Regem optimum uoluiſſe, ut quoniã a Rege petimus omnes uiuendi rationem, & id ſequimur, in quod principem uidemus inclinare, ut imbiberent litteras omnes quas ipſe tantopere amaret. Id quo facilius poſſet obtinere, omnia ſibi eſſe facienda, omnes adhibendas machinas, nihil intemptatum relinquendum eſſe iudicauit: ut ex uirtute penderemus qui Regis laudabilem conatum imitaremur. Quod ſi fuit ullum tempus cum Luſitani homines rationes, & cogitationes omnes ſuas in ſtudijs doctrinae conſtituerunt, tunc profecto eſſe coepit, cum auus tuus hoc regni ornamentum tanto ardore eſt amplexus ut pluribus in locis ditionis ſuae ſedem ſapientiae, & doctrinae de ſuo erigeret, & quodam modo conſecraret. Quo nomine merito laudan

dus

dus eſt, & ad omnẽ poſteritatem litteris, & ſcriptis commẽdandus; & quod optime regnis ſuis conſuluit, & quod optimo conſilio litteratos pleroſq; uiros adſciuit uoluntatis ſuae adminiſtros. Sed ille Luſitaniam ſeminarium uirtutis, & doctrinae uoluit eſſe, & ut excoleretur curauit. Felicibus genti noſtrae auſpicijs diuinitus in regnũ ſucceſsiſti, Rex potentiſsime, cui hoc curae tantopere eſt, ut nihil aliud uideatur eſſe (quae multa ſane ſunt) quod cures. Nec ſolum pateris ut in te tui oculos conijciant, te intueantur, te imitentur: ſed exemplo praeis, & te ut ſequantur inuitas, cum doctrinae ſtudia tanta contentione pertractes, ut qui uacuus curis omnibus & negotijs omnem aetatem litteris tranſmittit. Itaque ille ſementem fecit, collegis tu uberrimos fructus: Illum deſertae multis annis litteræ uindicem ab obliuione habuerunt, te patronum & auctorem nunc ſunt ſortitae diuq; habebunt, ut emergat uirtus, honeſtum reuocetur, floreant boni mores, Sapientia in tuo imperio teneat imperium. Nec ſolum enim tu praeclaram conſuetudinem ab Auo traditam tenes, ſed amplificas, illuſtrioremque reddis. Ex quo patet felicem eſſe Luſitaniarum gentem, te Rege, qui non

modo ſapientiae ſtudeas ipſe, ſed ut alij ſtudeāt hortaris. Non ſolum ut ames, & foueas doctrinam: ſed colas, & exornes, his gradibus aſcendētes ad immortalitatem peruenerunt ij Principes, qui & ſi multis ſaeculis iam ſint extincti, uiuunt tamen in laude, eorumque fama una cum aeternitate propagatur. Quorum tu quia facta imitaris non eſt dubitandum, quin florentibus nominibus florentiſsimum inſeras tuum, ut ne in omni temporum diuturnitate exareſcat. Macte uirtute Rex, laudibus eximie aui maiorumq; tuorum imitator, nae tu praeclare iudicaſti laudē non eſſe in imperio niſi cum is qui imperat, eo ſit dignus. Nam, ut ait ille, Reges uirtus, non diadema facit. Hinc reges uocamus lumina, & ornamenta regni, non quod praeluceant purpura, ſceptro, & corona eniteant; ſplendeſcant ve ornatu regio: Sed quod uirtus ipſorum, aliorum uitam illuſtrat, ad optimam rationem uiuendi allicit, mores bene conſtitutos conſeruat, labentes confirmat, afflictos excitat, iacentes extollit, ipſi magnitudini imperij decori ſit, & ornamento. Haec res impulit diuinum Platonem ut bene informatum illum ſuae reip. Regem omni cohorte uirtutum, omni illuſtrem ornamento in

media

media urbe uellet domicilium habere, ut ex ae quo omnes illa uirtute frui, illa luce illustrari possent. Quod & si regibus superioribus maioribus tuis non defuit, tibi certe ut cum maxime suppetit, & in quouis genere laudis nemine ipsorum sis inferior, & in colenda doctrina omnes longo interuallo superatos relinquas. Auxerunt illi imperium, & potentiam amplificarunt bellica uirtute, nauigandi gloria, incredibilique peruestigatione ultimarum terrarum ab Oceano Atlantico ac extima totius Africae litora, Indum, Gangẽ, Tapobranen; ad longe disiitos Iaponios peruenerunt, regni opes supra modum extulerunt, auri, argenti, gemmarum, aromatum copiã exaggerarunt, locupletarunt multos fortunis: Sed tu his non omissis, eisdem rebus non eadem aetate pares, & aequalis atque tua praeclara uirtute nouam aliam laudem qua eorum plerique caruerunt peperisti, ut uix ullum reliqueris tuis posteris amplificandi locum. Illi propugnarunt Lusitani imperij fines: tu defensos non dimittens propugnandi curam aequitate, sapientia, religione munis, atque exornas. Illi potentiae suae auxilia: tu et tuo & tuorum animis amplissima ornamenta comparas. Tu uariarum co-

gnitione

gnitione rerum tuum pectus, & tuorum mentes, & pietatis copijs: illi suos pecunia ditarunt. Facis tu ut multi in tuum regnum sapientiae pulchritudine allecti confluant: illi fecerunt ut ex solo, sedibusq; patrijs ciues in ultimas terras cōmigrarent. Illi eo genere laudis floruerūt, quod uelimus, nolimus cum multis exterarum gentiū imperatoribus aliqua ex parte communicandū est: tu ea gloria, quae est propria felicissimi principis enitescis. Illorum laudes celebrabūtur quidem, sed ita ut quos imitarentur eos habuisse fateamur, tuae in eodem genere aut pares, commendabuntur, aut praestantiores in hoc genere, quod instituisti tu solus eris antesignanus, & dux; te ceteri imitabuntur, ut iam sine timore ciues tui in te possint oculos conijcere, te intueri, a te uiuendi leges deducere. Aequum enim certe erat, ut Lusitanus Rex qui dat fruges ad uictū, daret etiam leges ad uitā. Sic enim memoriae est proditum Cererem Siciliae Deam incolis illius insulae, & segetum comparandarum rationem monstrasse, & sanciuisse leges, & placita, quib. ad humanitatē eorum animi informarentur. Tu tuis ciuibus cum tam large de tuo tribuas, ut uiuant: impartiaris necesse est eam formam uitae,

quam

quam duce te ſequantur: Vt ea laus quae Athenienſium quondam uel illius Deae propria eſſe uidebatur, tibi merito atque optimo iure tota deferatur. Quis enim eſt qui ignoret Luſitaniae Regem ita ſuos alere, ita ſuſtentare opibus, fulcire copijs, ditare de ſuo, ut pater omnium non Rex modo eſſe exiſtimetur? Solent alij uectigalia imponere, portoria in res omnes decernere, quacunque uia, & ratione pecuniam erogare, ut ciues exhauriant: Tu quibus rationibus illis ſuccurras, eorum inopiam ſubleues, ſuſtentes uitam, cogitare, & efficere non deſiſtis. Vt tua beneficentia prope diuina in plures extendatur ſane quam lux illa ſolis communis omnibus uim ſuam & ſplendorem elargiatur. Hinc omnibus es carus, & amandus, non modo tuis, ſed ijs etiã, qui te nunquam uiderunt; neque eſt qui exiſtimationem uiri boni conſeruet, qui tibi iure tuo non gratificetur, ut poſsit. Ego uero Rex potentiſsime, cum in mea & pueritia & prima adoleſcentia in illa tua bonarum artium officina Conimbricenſi fingerer, & formarer ad politiores litteras, iam tunc ſane animo quantum tibi omnes tui deberemus, uidebam, quibus tamen uel rebus, uel oratione patefacerem non inueniebã.

Veni

Veni in Italiam decimo fere ab hinc anno; Varijs in locis coepta ſtudia mea refinxi, cum uiris doctiſsimis, quorum ſemper illa fuit altrix optima. Illud mecum ſtatui non fore meum conatum inutilem ciuibus meis, ſi quae multorum annorum ſpatio ſapiẽtiſsimis hominũ doctrina praeſtantium colloquijs, conſilijs, ſtudio deniq; meo comprehendiſſem animo, ea aliquo modo cum alijs communicarem. Induxi animum ad negotium poeticum, quod & res mihi praeclara uiſa eſt in qua conatum meum ponerem, & ex qua mirabiles fructus & uoluptatem omnes perciperent. Rem ſum animo complexus maiorẽ quam uires ingenij mei ferre queant: Sed tamen laudabilem, ut ſi nōn aſſequar, quia tamen optima concupierim, nemo me debeat reprehendere. Nam, ut ait ille, Quod ſi deficiant uires, audacia certe Laus erit, in magnis, eſt uoluiſſe ſatis. Volui a primis quaſi initijs rem totam exordiri: Cõpoſui primum libellum de componendi carminis ratione non inutilem iuuentuti, ut ſpero. Eum tuo nomini merito tuo dicarem, ſi dignum maieſtate tua putaſſem: Sed nec hanc meam de Epigrammate commentationem dignam iudicabam, quae in tuo nomine daretur in uulgus;

tamen

tamen gratificandi Regi meo uoluntas non patiebatur tantum silentium, dum maiora animo commẽtor, tibi nec ingrata, nec indigna ut arbitror futura, mittere ad te hunc exiguum libellum decreui testem obseruantiae in te meae, indicem uoluntatis, animi grati leue, sed contestatum munusculum. Tu Rex potẽtissime, quo animo maiora accipis, eodem hanc grati hominis significationem excipito. Nam tibi si grata esse studia haec intellexero, efficiam profecto ut uoluntati, & desiderio tuo quoad uires meae patiantur, satisfaciam. Texam indies maiora, & meliora, ut mihi non uoluntatem satisfaciendi, & gratificandi tui, sed facultatem defuisse omnes intelligãt: nec mihi in officio animum, sed in contentione, ingenium impedimento fuisse. Commentor de ceteris generibus carminum rationem, de artificio cuiusuis formae, & arte non pauca, propediẽ expediam, quae ubi absoluero, ad maiora, & tuis auribus digna conferre me, delibero: & ut ciuibus meis dem significationem hominis non ingrati, qui quae multorum annorum studio sum assecutus, illis deferã, & tuis Rex potẽtissime conatibus accõmodasse ingeniũ uidear, haec sum aggressus. Tu interea (quae tua est humanitas)

hunc ſupplicem libellum, quo ſoles uultu, excipies, & qui alijs comitatis tuae fontes patefacis, mihi ne ſint clauſi curabis. Tum ego Deum opt. max. orabo, ſoſpitet te & fortunet Rex optime, nobisque iſtam benificentiam, comitatē, aequitatem, iuſtitiam, ſanctimoniam, magnanimitatem diu, & multum ſeruet incolumem. Vale

Roma Kal. Maij. CIↃ.IↃ.LXIX.

PRAEFATIO
IN LIBELLVM DE TOTO EO POEMATIS GENERE, QVOD EPIGRAMMA vulgò dicitur,
ET DE IIS, QVÆ AD ILLVD PERTINENT.

CVM multa sint poetae opera pulchra, admirabilia, diuina, tum nihil quod aut concinna breuitate, aut breui acumine di centis, aut arte ipsa magis intimos animi sensus afficiat, ac pene capiat, quam illud poematis genus, quod Epigramma uocamus. Nam illud si uenustum, aptum connexumq; sit, teres, & rotundum, ut inter se ita partes cohaereant, & congruant, ut distincte, breuiter, acute, & ornate sententia exprimatur, & admirationem mouet, & uoluptatem affert, non uulgarem. Multa arte opus est; sale, ingenij acumine, breuitate decora, dexteritate quadam, & iudicio; quod si quis ita componat epigramma, ut laudem eius generis, & gloriam conse-

quatur, eum non leuem rem praestitisse iudicandum est: si proxime accesserit, non minimi ducendus est eius labor, quia ad pulchra, & laude digna contenderit, & in eo excellere uoluerit, quod pauci perfecte sunt consecuti: Vt in pictura multos reperiemus maioribus in operibus non contemnendos: nonnullos perfectos: in minoribus uero picturae formis suo colore, & decoro effingendis, paucos affabre muneris sui eam partem absoluere uidemus. In magna pictura etiam si quaedam sint minus uenusta, nec locis apta, nec umbris distincta; multa tamen & colorum uarietate capiunt, & distinctione membrorum, & uestium cultu, & neruorum eminentia, statu, & situ intuentium oculos, & animos afficiunt. In exiguis formis quoniam omnia uno intuitu sunt spectanda, uno oculorum iudicio eodem tempore ad animum referenda si quo in loco peccatum sit, aut a decoro discessum, facile animaduertimus, & uel exiguo uitio totam picturam eo genere improbamus. Idem accidit in epigrammate. Nam in opere longo (boni praesertim poetae) multa esse est necesse, quae uoluptate afficiunt, & nonnullarum rerum aut leuium, aut minus cohaerentium accessionem compensent. In epigrammate uno eodemq; tempore omnia quae dicuntur in animum influunt, aut sententia breuibus inclusa numeris simulac lecta est influit in sen

sus

sus intimos, mouet; capit, excitat, expectationem explet: aut explosa eijcitur, & repudiatur. Quoduis poetices genus est admirabile, si artificiose exprimatur, quaeuis forma poeseos laude digna: Sed in epigrammate breuitas delectat, acumen excitat, concinnitas capit, haeret sententia, lepor uoluptate incredibili animum perfundit. Vt nihil sit iucũdius, nihil dulcius, nihil laudabilius apto, acuto, breui, distincto, suis numeris absoluto epigrammate. Amamus omnes breuitatem, res uero urbane, & salse prolatas excipimus alacri, & prompto animo: ubi uero quid a communi usu pronuntiatum, nouum, & inusitatum, admiratione dignum, siue nouo modo prolatum, aut legimus, aut audimus, capimus uoluptatem uel maximam, & memoria sepientes sententiam, uerba, & numeros repetentes, gestimus gaudio, & laetitia singulari afficimur. Fuerunt in pretio apud ueteres qui nullum non expresserunt poeticae genus: Epigrammatum scriptores alij alio tempore floruerunt non sine laude, & ingenij admiratione. Sed hominibus nostris alijs siue studijs, siue negotijs, curisque distentis, si otium aduersus suppetit, hoc potissimum uideo poeseos genus arridere, huiusmodi probare omnes poeticas scriptiones. Nam & sermone Latino, & patrio breuia illa poemata amplectuntur, in quae conijciant acutas sententias ad

laudem,

laudem, uituperationem, irrisionem, cauillationem, criminationem, & ad quaeuis alia in quocunque genere accommodata. Quod cum animaduerterem & de eo poematis genere tam bene sentirem, ut si ita essem consecutus, id in meis rebus secundis numerarem, operae pretium me facturum existimaui, si quae uel ueterum lectione, uel studio meo potui colligere, quaeque in rem praesentem conuenire iudicauero, ea hic exprimam paucis, ut discentium utilitati consulam. Ut enim est praeclarum acutum, lepidum, & concinnum epigramma componere: ita ea tenere, quibus ad eam laudem perueniatur, magnificum. Nec enim vulgaris & quotidiana consequentis ingenij est, perfectum undique, et elaboratum artificio suo, & momento epigramma concludere. Non est in eo posita illius ratio & uis, ut sententiam numeris astringas, uocum copiam compares, epithetorum quasi quandam instruxeris supellectilem, materiam ordine quodam distinxeris, ut magna grauiter, submissa humiliter, mediocria temperate describas. Maiora sunt, quae requiruntur, nec ex grammaticorum officina petenda: sed ex abditis poeticae praeceptis haurienda, seligendaque iudicio quodam, & arte. Nec enim consilium illius, qui hoc in genere excellere elaborat id spectare debet, quod toti arti est commune, ut in poemate uoluptatem utilitati admisceat,

nec

nec minus oblectet lectorem, quam instruat: demonstret in uitijs summam inesse turpitudinem, prope diuinam gloriam in uirtutibus: una denique, eademq; opera & sensus animi leniter afficiat, & mores cohonestet. Sed ut breuiter, acute, urbane, cum admiratione afficiat, nihil ut animus requirat legentis. Ut qui legit, cum uoluptate legat; ac iudicet non esse omnia leuiter aestimantis, haec praestare. Sed eius qui ingenio ualeat, polleat acumine, sit instructus arte, iudicium adhibeat, naturam rei expendat. Non tamen est satis hanc ad laudem consequendam ubertas illa ingenij a natura donata, non breuium productarumque syllabarum ratio, non dimensio numerorum, non canorus uocũ sonus sufficiunt. Quominus est mirandum si cũ ceteris informis, & partibus poetices tot principes extiterint, in hoc genere ut excellerent, paucissimis contigerit. Quod uel existimatione falsa ingenij accidisse plurimis, qui eam rem tractauerunt, putandum est: uel inscitia, et artificij ignorantia, uel incuria quadam est iudicandum. Illud tamen affirmare audebo, nullum esse poematis genus utilius, & ad perfectam poeseos absolutionem comparandam accommodatius, quam hoc de quo loquimur. est enim haec exercitatio & ad ingenium acuendum idonea, & ad acumen exprimendũ apta, & ad informandum animum pulcherrima supellectili lauta, & absoluẽdam perfectam poetae & omni

laude

laude dignam scriptionem magnopere necessaria alit co piam, siluescentem abundantiam coercet, necessaria inserit, amputat redundantia, nutrit concinnitatem & scribendi leporem. Ab hac & uenustas acquiritur, & uerborum optimorum, rerumque propriorum delectus cognoscitur, & eorum constructio habetur, nec licentia numerorum quidquam, quod non sit necessarium inseri conceditur. Hac sententiarum concinnitas instruitur, & arguti, certi & circunscripti numeri, numerorumque ambitus de industria quaeruntur. Hac languor quasi quidam suo loco adhibitus laudem consequitur, & industria, ac studio non ex insidijs studetur scriptionis pulchritudini. Jn hac nihil nisi aut graue, aut elegans admittitur, quod & transferat animos, & moueat huc & illuc. Qui motus cogitationis argutia, uenustate, nouitate, constructione rerum, celeriter agitatus per se ipse delectat. Vt igitur aetas haec nostra quae cum alias poeticae partes amplectitur studiose, tum hanc assiduo usu, exercitationeque excolit, laudem eius generis sibi possit merito comparare, epigrammatis usum, naturam, artificium, genera, finem, uirtutes denique omnes, quae, & quales sint aperire, non erit inutile; deq; toto genere breuiter differere, ab re non erit. Quod ut efficere possimus, rē ab initio cōplectemur, et quae utilia iudicauerimus, seligemus.

Caput

De notatione etymologiaque nominis caput primum.

Magna uis inest plerunque in nomine ad aperiendam rei naturam, atque ideo uiri sapientes inde iubent exordiri, quo commodius de tota re agatur. Epigramma ueteribus cuiuslibet rei inscriptio, siue de aliquo testificatio appellatur: seu dictum, sententia, iudicium honoris, dedecoris ue causa prolatum, in quo aliquid insit reprehensione, laude, commendatione, memoria dignum. Ac etsi quamcunque scriptionem nomen indicet (unde etiam Lemma epigramma dicitur) tamen loquendi consuetudine, poetarumque usu proprium nomen effectum est, eius generis poematis, quod laudem uel uituperationem contineat: siue utriusque rationem breuitate, & concinnitate perfectum. Hinc quid epigramma sit facile intelligemus.

Quid sit epigramma caput secundum.

Cognita nominis notatione, epigrammatis definitio enucleanda est: quod ex eo patebit, unde nomen rei fuit inditum. Epigramma enim nihil est aliud quam breue poema cum simplici rei cuiuspiam indicatione uel personae, uel facti; seu est contestatio dedu-

cta ex propositis in commendationem rei alicuius, seu detestationem. quae descriptio diuisionem simul indicat epigrammatis, dum aut indicationẽ simplicem rei, aut compositam ex propositis deductam dicimus esse. simplex rei indicatio est illa Virgilij in iij. Æneidos, ubi illa proloquitur

Aere cauo clypeum magni gestamen Abantis
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo.

Subiungit indicationem.

Aeneas haec de Danais uictoribus arma.

De simplici epigrammate, & composito caput tertium.

SVnt quaedam epigrammata simplicia; quaedam uero composita; quae ex propositis ad aliud quidpiam quod uel sit maius, uel minus, uel par, uel contrarium referuntur. Simplex est epigramma, in quo unam tantum rem exprimit poeta. Vt facit Catullus in Lesbiam, a qua ait se amari.

Lesbia mi dicit semper male, nec tacet unquam
De me dispeream me nisi Lesbia amat.
Quo signo? quasi eadem totidem mox deprecor, illi
Assidue, uerum dispeream nisi amo.

Exemplum compositi, in quo aliud deducitur ex propositis,

positis, quod sit maius, illud Catulli in Lesbiam quo loco sibi met gratulatur quod in gratiam iterum cum ea redierit, amoremque eius conciliarit, quod cum minus id sperauerit, insperanti tamen ex animi sententia res contigerit.

Si quidquam cupidoque, optantique obtigit unquam,
Insperanti hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum, nobis, hoc carius auro,
Quod te restituis Lesbia mi cupido.
Restituis cupido, atque imperanti ipsa refers te:
O mihi cara magis candidiore nota.
Quis me uno uiuit felicior, aut magis mi esse
Optandum in uita dicere quid poterit?

Non nonquã deducitur aliquid quod sit minus. efficit id Catullus dum Quintiã laudat, & extollit; ita tamen ut longe esse inferiorem Lesbia uenustate, & lepore ingenuo dicat.

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est, haec ego singula confiteor.
Totum illud formosa nego: Nam nulla uenustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

& illud eiusdem

Gallus habet fratres quorum est lepidissima coniux

Alterius lepidus filius, alterius
Gallus homo est bellus, nam dulces iungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, neque se uidet esse maritum
Qui patruus patrui monstret adulterium.
Sed nunc id doleo quod purae impura puellae
Suauia coniunxit spurca saliua tua.
Verum id non impune feres, nam te omnia saecla
Noscent, & qui sis fama loquetur anus.

Interdũ sequitur par ex propositis, ut Catullus.

Quincti si tibi uis oculos debere Catullum,
Aut aliud siquid carius est oculis,
Eripere ei noli multo quod carius illi
Est oculis, siquid carius est oculis.

et illud etiam apud eundem.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea est.
Nulla fides ullo fuit unquam foedere tanto,
Quanta in amore suo ex parte reperta mea est.

Plerunque sequitur contrarium, siue ex contrarijs & repugnantibus rebus epigramma contexitur lepidissimum. Vt Catullus.

Lesbius est pulcher, quid ni quem Lesbia malit
Quam te cum tota gente Catulle tua.
Sed tamen hic pulcher, uendat cum gente Catullum

Si tria

Si tria amatorum ſuauia reppererit.
Odi et amo, quare id faciam fortaſſe requiris? *idem*
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.
Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle, *idem*
Quam mihi, non ſi ſe Iuppiter ipſe petat.
Dicit, ſe mulier cupido quod dicit amanti,
In uento & rapida ſcribere oportet aqua.

Sumuntur etiã a ſimilitudine, ſiue diſſimilitudine quibus uenuſtiſſime condiuntur. quorum exempla poſſem ex ueteribus adducere. Sed ne multus ſim in re clara, ad alia conuertam orationem.

Quot ſint ad epigramma genera uerſuum, & quae caput quartum.

N*Vllum eſt uerſuum genus quo epigramma non cõſtet, quo fit ut forma haec pateat latiſſime, eiusque ratio uaria ſit, & multiplex. Nam epopeia certum habet genus carminis, definitum elegia, proprium, & ſuum comaedia, & tragaedia, deſignatum; & mixtũ quodam lyrica, nec enim omnia recipiunt; epigramma, quouis genere uenuſtiſſime componitur. Nec ſolum oratio certis numeris aſtricta epigramma dicitur, ſed inſcriptiones monumentorum etiam oratione ſoluta ſcriptae, epigrammata uocari conſueuerunt. Vt M. Tullius*

lius in epistolis ad Atticum libro undecimo inscriptiones monumentorum epigrammata uocat, uersuum autem generibus omnibus componi, cõtineri que epigramma usus ueterum declarat. Nam in lusibus diuersi generis esse uidemus, quae tamen epigramma uocantur: idem apud Catullum. In libro autem epigrammatum graecorum etiam uersibus Heroicis epigrammata continentur. Nec tam ad numerum spectarunt antiqui horum poematum auctores & principes, quam ad rem, quam sunt eo poematio complexi. quod ex M. Tullij in oratione pro Archia poeta aperte colligitur: & ex quinta Tusculana quaestione multo clarius, ubi de Archimede Syracusano loquitur hoc modo. Ex eadem urbe humilem homunculum a puluere, & radio excitabo, qui multis annis post fuit Archimedem; cuius ego Quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omninò negarent, septum undique, & uestitum uepribus, & dumetis indagaui sepulcrum; tenebam memoria quosdam senariolos, quos in eius monumẽto esse inscriptos acceperam: qui declarabant in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro: ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulcrorũ) animaduerti columnellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura, & cylindri, atque ego statim Syracu-

sanis

ſanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipſum arbitrari eſſe, quod quaererem: immiſſi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum, quo cum patefactus eſſet aditus, ad aduerſam baſim acceſſimus. apparebat epigrãma exeſis poſterioribus partibus uerſiculorum dimidiatis fere. Plerunque tamen uerſuum modi ad ſententiam accommodantur ut Iambici, Hendecaſyllabi, Hexametri, & ceteri ſuo adhibentur interdum loco. Res modo filo ſuo, & decoro exprimatur, uerſuum uſurpetur uel hoc, uel illud genus, quod magis in rem conuenire, is qui componit iudicauerit.

De eius dictione caput quintum.

Dictio in epigrammate pura eſſe debet, lecta, ſincera, elegans, quae rei dignitatem, quantum fieri poteſt, augeat. Quae nihil hauriat de faece: ſed lauta ſit, & magnifica, munda, & culta. Tot uerbis, & generibus uerborum conſtet, tot ſpeciebus, formis, figuris, modis; quot ſunt in ea lingua, & ſermonis ratione, in qua componis, genera uerborum, ſpecies, formae, figurae, modi. Multa praeterea eius leges noua, & ficta admittunt, ſolaeciſmum interdum cum dignitate interponit, ut Martialis.

Non es uitioſus Zoile, ſed uitium.

Barbariſmum non refugit. ut Catullus

Commoda dicebat, ſiquando commoda uellet

Dicere & hinſidias Arrius inſidias.

Diſtortam etiam dictionem non ſpernit, ſed inſerit uenuſte, Vt Martialis.

Non es bonus ſed optimus malorum.

Nam illa dictio uitioſa, nouitas, & diſtorta copulatio uocum ac barbara mouet riſum, excitat admiratiõnẽ, influitque in ſenſus. Totum itaque epigramma cultũ, limatum, expolitum, teres, rotundum, affectuum plenum, molle, argutum, ſuaue, placidum, decorum eſſe debet; quod animum capiat, & in ſenſus legentium intimos ſeſe inſinuet: quod excitet, quod moueat eum, quem uelis affici, quo uolueris modo. Non ui impellat, ſed iucunditate alliciat. Non ſit tyranno ſimile qui mauult metui, quam amari. Sed attrahat ad ſeſe, & inuitet; rapiat interdum, lectum iterum magis, ac magis recreet. Non ſit illis epulis ſimile quæ prius ſatiant, quam famem expleuerint: teque antequam guſtes, faſtidio afficiunt. Non minaci quodam impetu, & modo auditorem inuitum, aut haerentem teneat, & ubi uult tenere abigat. Non abijciat rem magis, quam extollat, corrodat, quam expoliat, & elimet. Non ita exultet, ut neſciat ſuo loco conſiſtere, haereat animo, relinquat in auribus ueſtigium ſui. Non atterat:

rat : non effluat ; non labatur ; reperiatur saepius, & eo magis probetur, quo magis legitur. Condiatur multo sale, ornetur lepore suo, aceto non nunquam asperga tur, si res et tempus postularint. Relinquat ambages, tritas fabulas fugiat, nihil uulgare, nec plebeium admittat : omnia in epigrammate lucem, et nitorem quē dam prae se ferant. Verba sint propria, & rebus illustrandis apta : translata decore : adhibeantur accommodata, non grandia, nitida, expressa, rotunda, apte ficta, non popularia, non sordida, non obsoleta, non aspera, non mixta ex uarijs linguis, etiā si poetae Graeca interdum interponant nec sine laude : Illud in primis curandum est diligenter, ne ullum in epigrammate ponatur uerbum otiosum, ad explendum uersum magis, quam ad rem significandam comparatum. Nam et si uis insit magna in epithetis (quae apposita Latine M. Tullius uocat) si modo sint uenuste adhibita, & tota ad rem referātur, uitiosa interdum sunt, quae ad dimensionem quaeruntur magis, & numerum, quā quae ad sensum faciunt diligentissime curandum est, ut sint maxime propria, & idonea uerba et nomina fixa, quae substantiua uulgus Grammaticorum uocat. Nā his duabus rebus numerosa conclusione adhibita perplacet epigramma, & in sensus influit, totumq́; negotium in his inest, reliquae dictiones ad ornamentū apponun-

tur. epitheta tamen sint selecta, & rebus ipsis apta. Virg. li. 11. Aen. *Epithetum distinguat ambigua, Ut Deus bellipotens,* Idē li. 1. Ae. *aequor Tyrrhenum. Significet qualitatem aliquam,* Idē in Buc. *ut collis apricus, mella fragrantia, dulcia, roscida; exi*dem lib. 4. Georg. *guus mus. Augeat, ut tēplum immane, uiuida bello dex*Idem in Buc. *tera: Aequet, ut lupus ululans, oues balantes. Acci*Idem in li. 1. Georg. *piantur a futuro euentu, ut miserrima Dido & infe*Idē li. 6. Ae. *lix, quoniam non solum perditura erit pudicitiam, sed* Idē li. x. Ae. *& regnum & uitam. a spe felix Tolumnius, dixit* Idē li. 1. Ge. *Turnus quia ita sperabat. a causis, ut Dona cerealia, Vulcania arma. Ab effectis, ut frigida mors, tristis senectus, pax tranquilla. Ab adiunctis, ut cristatus Achilles, & immitis. herbosum flumen. Per Hyperbolem, ut ferrea uox. Per Metaphoram, ut mobilis riuus, uer purpureum. Per synedochen, ut Virg.*

Poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis.

Vuas pro uino. pocula Acheloia, pro Aqua Acheloi fluuij, quae poculis continetur. Acheloum pro quauis aqua. ita etiam

Pingui glandem mutauit arista.

Per indignationem. Periurae Troiae. Per contemptum, ut semiuiri Phryges. quaedam a patria, ut Laryssaeus Achilles. sunt quaedam usu facta propria, ut Phoebus Apollo. Quaedam ex consuetudine contraria significant, ut horrētia Martis arma. hoc est horribilia.

ribilia. penetrabile frigus, quod penetrat. Quaedam ex quodam acumine & doctrina, ut Marpesia cautes. uinum Falernum, Massicum, caecubũ. Quaedam sunt necessaria, Ut pater conscriptus. Quaedam ponuntur ob nitorem, ut tempestatesque sonoras. Quaedam rebus apponuntur ob aliquod ipsarum munus, Vt Virg. lib. 6. Aen. Diana Triuia, Luna menstrua, idem lib. 1. Geor. Quaedam a loco, ut Virg. lib. 4. Aen. Hircana Tigris, & in Buc. Leo Paenus. & Getulus. li. 5. Aen. Quaedam ex genere, ut Virg. lib. 5. Aen. Achilles Pelides. Anchisiades Aeneas. lib. 6. Quaedam a similitudine, ut Eburneum collum, Ouid. Metam. Quaedã ob quantitatem, ut Virg. lib. 1. Georg. Longus coluber. Quaedam ab his, quibus sacra, ut Phoebea laurus, Palladia Oliua. Ouid. de Fastis. Quaedam a locis sibi sacris, ut Venus Cytherea. Virg. lib. 1. Aen. Delius Apollo, lib. 6. Aen. Quaedam a ui aliqua, ut graueolens Auernus. Virg. lib. 6. Aen. Sit igitur illa cura eius qui componit in inserendis epithetis, ut nullum superfluum adhibeat, & ad explendos magis numeros quam ad illustrandam sententiam aptum. Non enim apposita ponuntur ut rei membra, sed ut ornamenta. Perinde ergo ac lux, & nitor quidam debent illustrare, & fulcire uersum, ut fimbriae in ueste pretiosa adhibitae, quae pallam, togam, tunicam cohonestant, & exornant, nec

ad alium usum interseruntur. Jlle in adhibendis appositis non errabit, qui ea addiderit, quae Virgilius, Lucretius, Tibullus, Catullus, Ouidius, Horatius adhibuit. Noua tamen apponi possunt, quae dignitatem habeant, & idonea sint, & significantia.

De usu epigrammatis, caput sextum.

PRima inuentio, usúsque epigrammatis fuit in statuis, & signis, imaginibus, trophaeis, & quibuscunque monumentis. Ut qui Herculi signum erigebat, illi inscriptionem addebat: Magno Alcidi. siue Herculi patri. siue Custodi Urbis. siue Orbis domitori. & huiusmodi. Vt illud in Rufum Rhetorem.

Rhetoris haec Rufi statua est, si saxea, Rufi
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

In trophaeis Virg lib. undecimo.

Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophaeum
Bellipotens, aptat rorantes sanguine cristas.
Telaque trunca uiri, & bis sex thoraca petitum
Perfusumque locis clypeumque ex ære sinistræ
Subligat atque ensem collo suspendit eburnum.

In monumentis Horatius. lib. I. Ode quinta.

--me tabula sacer
Votiua paries indicat humida

Suspen-

Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo

Et illud Valerij Catulli dum dedicat nauiculam Castori, & Polluci.

Phasellus ille, quem uidetis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimum,
Nec ullius natantis impetum trabis,
Nequiuisse praeterire, siue palmulis
Opus foret uolare, siue linteo.

Deinde post multa, subiungit.

Sed haec prius fuere, nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris.

Est autem tunc epigramma rei cuiuspiam inscriptio, quoties illi apponitur: quando uero in codicem refertur, tunc ipsa statua, siue monumentum est indicatio epigrammatis; & quasi inscriptio: uel certe loco statuae, & monumenti, quasi quaedam subijcitur inscriptio & titulus. Verbi gratia, in Veneris statua illa indicatio.

Orta solo, suscepta solo, patre edita caelo
Aeneadum genetrix, hinc habita alma Venus.

Hic ueteribus epigrammatum usus, nostris & saeculis superioribus praeterquam quod in hanc sententiam adhibebantur, Vt in statuā Jouis, in templum Dianae, & ce-

& cetera: breuia etiam poemata in laudem uituperationemque alicuius acute, & urbane conclusa epigrammata uocarunt. atque ita usus obtinuit ut pleni libri de epigrammatis fuerint inscripti, in quibus uel facta cuiuspiam insignia, uel animi corporisque dotes, & uitia exprimerentur.

De forma & ui epigrammatis, & quid eius sit proprium, cap. septimum.

Forma epigrammatis quasi anima, & spiritus, est argutia: sine qua iacet, & languet. quae si subsit, etiam si alia requiras, probatur tamen, & oblectat animi sensus. Si uero epigramma Argutia caret, epigramma non est; ut res aliae quae suam formam per quam sunt id quod sunt, non habent. Nam nerui, succus, & quasi sanguis epigrammatis subtilitas arguta, & acumen est. Propria uero illius uirtus est breuitas. Nec uero breuitatem definio certo uel numerorum, uel uersuum ordine, & multitudine. Nam & simplex uersus epigramma est, & e pluribus disthicis absoluta, & inclusa sententia epigrammate continetur. Non tamen nimis longum probo, ne elegia sit uel promissum opus. & quoniam epigramma inscriptio quaedam est, non opus aliquod, illud optimum, quod breuissimum. in Disthicis

ſthicis ineſſe eius uenuſtatem docet Phormio Graecus auctor, quo loco omne epigramma diſthico uno ait includendum eſſe, alioqui iam deſinere eſſe epigramma, eſſe uero rapſodiam. Nobis autem & ſi alios qui uel intra ſex diſthica ſententiam concluſerunt, liceat imitari: danda eſt certe opera, ut breuitati ſtudeamus, quo ad fieri poſſit, ueteres imitantes, ne qui illos ſequimur, anteire uideamur. Ut in odis Graecos, & Horatium, in alijs auctorem luſuum Catullum, Tibullum, auctoresque antiquos. Quod ſi breuitatem propriam Virtutem, epigrammatis eſſe dicimus, quo breuius illud fuerit ſeruato decoro, & argutia conditum, eo iucundius, gratius, concinnius erit iudicandum. Argutia enim animum excitat, & capit: breuitate haeret memoria, & reficit: Itaque has duas Virtutes debet diligenter inſpicere, & ſeruare, qui in componendo epigrammate vult excellere. Breuitatem ſcilicet, & argutiam, in quibus ineſt illius uis, & energia. Felix in argutijs Catullus, felicior Martialis, quamuis rebus alijs multo ſit inferior, minusq; cultus, & limatus. Comparatur uero argutia, quoties concluſio eſt inexpectata, ſiue quoties expectationi eſt contraria, Ut illud in Luſibus de malo arbore, cui affixa fuerunt mali poetae carmina.

Quid fruſtra quereris colone mecum

Quod

Quod quondam bene fructuosa malus
Autumnis sterilis duobus astem?
Non me praegrauat ut putas senectus,
Nec sum grandine uerberata dura,
Nec gemmas modo germine exeuntes,
Seri frigoris ustulauit aura:
Nec uenti, pluuiae-ue, siccitas-ue,
Quod de se quererer malum dederunt.
Non sturnus mihi, graculus-ue raptor,
Aut cornix anus, aut aquosus anser,
Aut coruus nocuit siticulosus:
Sed quod carmina pessimi poetae
Ramis sustineo laboriosis.

Et illud Martialis libro sexto in Coracinum epigrammate quinquagesimoquarto.

Quod semper casiaque, cinamoque
Et nido niger alitis superbae
Fragras plumba Nicerotiana
Rides nos Coracine nil olentes,
Malo quam bene olere, nil olere.

De quibusdam uirtutibus epigrammatis, caput octauum.

C*Vm in omni poemate, tum uel ut cum maxime in epigrammate Venustas, suauitas, uehementia, et energia*

energia desiderantur. Venustas nunquam debet abesse, quae in prudentia quadam consistit, & dexteritate electionis, & collocationis. Suauitas allicit lectorem, uel inuitat ad legendum. Ea oritur ex ijs quae habent in se iucunditatem, & uim afficiendi sensum, animumque legentis: quae uis tanto est maior, quanto clarius exprimitur. Venustas est decor, & pulchritudo epigrammatis. Suauitas uero uenustatis pulchra, & delicata species, quae efficit, ut auide legas, nec te lectio fastidio afficiat. Venustati aduersatur deformitas, siue turpitudo, Suauitati asperitas. Aliquando Apostrophe uel ad se uel ad alios, ut apud Catullum & ad se & ad puellam.

Miser Catulle desinas ineptire,
Et quod uides perijsse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum uentitabas quo puella ducebat,
Amata nobis quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tum iocosa fiebant
Quae tu uolebas, nec puella nolebat,
Fulsere ueri candidi tibi soles,
Nunc iam illa non uult, tu quoque impotens esto,
Nec quae fugit sectare, nec miser uiue,
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale puella, iam Catullus obdurat.

Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulli.
Scelesta te ne? quae tibi manet uita,
Quis nunc te adibit? cui uideberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?

Quoties item sunt quae paria paribus referũtur: quoties siluis, montibus, arboribus, rebus inanimis damus sermonem, uel cum ijs loquimur. Ut in lusibus

Quam puero legem fertur dixisse Priapus,
Versibus hic infra scripta duobus erit.
Quod meus hortus habet, sumas impune licebit,
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

Catullus ad Sirmionem peninsulam

Peninsularum Sirmio insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,
Marique uasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quam laetus inuiso,
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bythinos
Liquisse campos, uidere te in tuto:
O quid solutis est beatius curis
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi, uenimus larem ad nostrum.
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est quod unus est, pro laboribus tantis.

Salue

Salue o uenusta Sirmio atque hero gaude.
Gaudete uos quoque Lydiae lacus, undae
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Energia quasdam rerum quasi ad aspectum subijcit ideas, & species singulari quodam artificio, & ordine, ut exterriti, stupidi, furiosi, iracundi, malitiosi, denique rei quasi faciem depingit. Energia est in uerbis, & rebus. in lusibus

Carminis incompti lusus lecture procaces
Conueniens Latio pone supercilium.
Non soror hoc habitat Phoebi, non Vesta sacello,
Non quae de patrio uertice nata Dea est.
Sed ruber hortorum custos membrosior aequo,
Qui tectum nullis uestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti praetende tegendae,
Aut quibus haec oculis aspicis, ista lege.

Est autem energia item aut in facto, aut in dicto, aut in animo. factum uoco quamlibet rem. ut Catullus ad Lesbiam:

Huc est mens deducta tua mea Lesbia culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa suo.
Vt iam nec bene uelle queam tibi si optima fias
Nec desistere amare omnia si facias.

& . O saeclum insipiens & infacetum.
& alio loco. O uentum horribilem atque pestilentem.

38

Virg. li. 11. Aen. idē li. 1. Ae. idē in Buc. idem lib. 4. Georg. idem in Buc. idem in li. 1. Georg. idē li. 6. Ae. idē li. x. Ae. idē li. 1. Ge.

tur. epitheta tamen sint selecta, & rebus ipsis apta. Epithetum distinguat ambigua, Ut Deus bellipotens, aequor Tyrrhenum. Significet qualitatem aliquam, ut collis apricus, mella fragrantia, dulcia, roscida; exiguus mus. Augeat, ut tēplum immane, uiuida bello dextera: Aequet, ut lupus ululans, oues balantes. Accipiantur a futuro euentu, ut miserrima Dido & infelix, quoniam non solum perditura erit pudicitiam, sed & regnum & uitam. a spe felix Tolumnius, dixit Turnus quia ita sperabat. a causis, ut Dona cerealia, Vulcania arma. Ab effectis, ut frigida mors, tristis senectus, pax tranquilla. Ab adiunctis, ut cristatus Achilles, & immitis. herbosum flumen. Per Hyperbolem, ut ferrea uox. Per Metaphoram, ut mobilis riuus, uer purpureum. Per synedochen, ut Virg.

Poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis.

Vuas pro uino. pocula Acheloia, pro Aqua Acheloi fluuij, quae poculis continetur. Acheloum pro quauis aqua. ita etiam

Pingui glandem mutauit arista.

Per indignationem. Periurae Troiae. Per contemptum, ut semiuiri Phryges. quaedam a patria, ut Laryssaeus Achilles. sunt quaedam usu facta propria, ut Phoebus Apollo. Quaedam ex consuetudine contraria significant, ut horrētia Martis arma. hoc est horribilia.

ribilia. penetrabile frigus, quod penetrat. Quaedam ex quodam acumine & doctrina, ut Marpesia cautes. uinum Falernum, Massicum, caecubū. Quaedam sunt necessaria, Ut pater conscriptus. Quaedam ponuntur ob nitorem, ut tempestates que sonoras. Quaedam rebus apponuntur ob aliquod ipsarum munus, Ut Virg. lib.6. Aen. Diana Triuia, Luna menstrua, idem lib. 1. Geor. Quaedam a loco, ut Virg. lib. 4. Aen. Hircana Tigris, & in Buc. Leo Paenus. & Getulus. li. 5. Aen. Quaedam ex genere, ut Virg. lib. 5. Aen. Achilles Pelides. Anchisiades Aeneas. lib. 6. Quaedam a similitudine, ut Eburneum collum, Ouid. Metam. Quaedā ob quantitatem, ut Virg. lib. 1. Georg. Longus coluber. Quaedam ab his, quibus sacra, ut Phoebea laurus, Palladia Oliua. Ouid. de Fastis. Quaedam a locis sibi sacris, ut Venus Cytherea. Virg. lib. 1. Aen. Delius Apollo, lib. 6. Aen. Quaedam a ui aliqua, ut graueolens Auernus. Virg. lib. 6. Aen. Sit igitur illa cura eius qui componit in inserendis epithetis, ut nullum superfluum adhibeat, & ad explendos magis numeros quam ad illustrandam sententiam aptum. Non enim apposita ponuntur ut rei membra, sed ut ornamenta. Perinde ergo ac lux, & nitor quidam debent illustrare, & fulcire uersum, ut fimbriae in ueste pretiosa adhibitae, quae pallam, togam, tunicam cohonestant, & exornant, nec

ad alium usum interseruntur. Ille in adhibendis appositis non errabit, qui ea addiderit, quae Virgilius, Lucretius, Tibullus, Catullus, Ouidius, Horatius adhibuit. Noua tamen apponi possunt, quae dignitatem habeant, & idonea sint, & significantia.

De usu epigrammatis, caput sextum.

P*Rima inuentio, usúsque epigrammatis fuit in statuis, & signis, imaginibus, trophaeis, & quibuscunque monumentis. Ut qui Herculi signum erigebat, illi inscriptionem addebat: Magno Alcidi. siue Herculi patri. siue Custodi Vrbis. siue Orbis domitori. & huiusmodi. Vt illud in Rufum Rhetorem.*

Rhetoris haec Rufi statua est, si saxea, Rufi
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

In trophaeis Virg lib. undecimo.

Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophaeum
Bellipotens, aptat rorantes sanguine cristas.
Telaque trunca uiri, & bis sex thoraca petitum
Perfusúmque locis clypeumque ex ære sinistræ
Subligat atque ensem collo suspendit eburnum.

In monumentis Horatius.lib. 1. Ode quinta.

--me tabula sacer
Votiua paries indicat humida

Suspen-

Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo

Et illud Valerij Catulli dum dedicat nauiculam Caſtori, & Polluci.

Phaſellus ille, quem uidetis hoſpites,
Ait fuiſſe nauium celerrimum,
Nec ullius natantis impetum trabis,
Nequiuiſſe praeterire, ſiue palmulis
Opus foret uolare, ſiue linteo.

Deinde poſt multa, ſubiungit.

Sed haec prius fuere, nunc recondita
Senet quiete, ſeque dedicat tibi
Gemelle Caſtor, & Gemelle Caſtoris.

Eſt autem tunc epigramma rei cuiuſpiam inſcriptio, quoties illi apponitur: quando uero in codicem refertur, tunc ipſa ſtatua, ſiue monumentum eſt indicatio epigrammatis; & quaſi inſcriptio: uel certe loco ſtatuae, & monumenti, quaſi quaedam ſubijcitur inſcriptio & titulus. Verbi gratia, in Veneris ſtatua illa indicatio.

Orta ſolo, ſuſcepta ſolo, patre edita caelo
Aeneadum genetrix, hinc habita alma Venus.

Hic ueteribus epigrammatum uſus, noſtris & ſaeculis ſuperioribus praeterquam quod in hanc ſententiam adhibebantur, Vt in ſtatuā Iouis, in templum Dianae,

& ce-

& cetera: breuia etiam poemata in laudem uituperationemque alicuius acute, & urbane conclusa epigrammata uocarunt. atque ita usus obtinuit ut pleni libri de epigrammatis fuerint inscripti, in quibus uel facta cuiuspiam insignia, uel animi corporisque dotes, & uitia exprimerentur.

De forma & ui epigrammatis, & quid eius sit proprium, cap. septimum.

F*Orma epigrammatis quasi anima, & spiritus, est argutia: sine qua iacet, & languet. quae si subsit, etiam si alia requiras, probatur tamen, & oblectat animi sensus. Si uero epigramma Argutia caret, epigramma non est; ut res aliae quae suam formam per quam sunt id quod sunt, non habent. Nam nerui, succus, & quasi sanguis epigrammatis subtilitas arguta, & acumen est. Propria uero illius uirtus est breuitas. Nec uero breuitatem definio certo uel numerorum, uel uersuum ordine, & multitudine. Nam & simplex uersus epigramma est, & e pluribus distichis absoluta, & inclusa sententia epigrammate continetur. Non tamen nimis longum probo, ne elegia sit uel promissum opus. & quoniam epigramma inscriptio quaedam est, non opus aliquod, illud optimum, quod breuissimum. in Di-*

sthicis

sthicis inesse eius uenustatem docet Phormio Graecus auctor, quo loco omne epigramma disthico uno ait includendum esse, alioqui iam desinere esse epigramma, esse uero rapsodiam. Nobis autem & si alios qui uel intra sex disthica sententiam concluserunt, liceat imitari: danda est certe opera, ut breuitati studeamus, quo ad fieri possit, ueteres imitantes, ne qui illos sequimur, anteire uideamur. Ut in odis Graecos, & Horatium, in alijs auctorem lusuum Catullum, Tibullum, auctoresque antiquos. Quod si breuitatem propriam Virtutem, epigrammatis esse dicimus, quo breuius illud fuerit seruato decoro, & argutia conditum, eo iucundius, gratius, concinnius erit iudicandum. Argutia enim animum excitat, & capit: breuitate haeret memoria, & reficit: Itaque has duas Virtutes debet diligenter inspicere, & seruare, qui in componendo epigrammate vult excellere. Breuitatem scilicet, & argutiam, in quibus inest illius uis, & energia. Felix in argutijs Catullus, felicior Martialis, quamuis rebus alijs multo sit inferior, minusq; cultus, & limatus. Comparatur uero argutia, quoties conclusio est inexpectata, siue quoties expectationi est contraria, Ut illud in Lusibus de malo arbore, cui affixa fuerunt mali poetae carmina.

Quid frustra quereris colone mecum

Quod

Quod quondam bene fructuosa malus
Autumnis sterilis duobus astem?
Non me praegrauat ut putas senectus,
Nec sum grandine uerberata dura,
Nec gemmas modo germine exeuntes,
Seri frigoris ustulauit aura:
Nec uenti, pluuiaeve, siccitasve,
Quod de se quererer malum dederunt.
Non sturnus mihi, graculusve raptor,
Aut cornix anus, aut aquosus anser,
Aut coruus nocuit siticulosus:
Sed quod carmina pessimi poetae
Ramis sustineo laboriosis.

Et illud Martialis libro sexto in Coracinum epigrammate quinquagesimoquarto.

Quod semper casiaque, cinamoque
Et nido niger alitis superbae
Fragras plumba Nicerotiana
Rides nos Coracine nil olentes,
Malo quam bene olere, nil olere.

De quibusdam uirtutibus epigrammatis, caput octauum.

Cum in omni poemate, tum uel ut cum maxime in epigrammate Venustas, suauitas, uehementia, et energia

energia desiderantur. Venustas nunquam debet abesse, quae in prudentia quadam consistit, & dexteritate electionis, & collocationis. Suauitas allicit lectorem, uel inuitat ad legendum. Ea oritur ex ijs quae habent in se iucunditatem, & uim afficiendi sensum, animumque legentis: quae uis tanto est maior, quanto clarius exprimitur. Veuustas est decor, & pulchritudo epigrammatis. Suauitas uero uenustatis pulchra, & delicata species, quae efficit, ut auide legas, nec te lectio fastidio afficiat. Venustati aduersatur deformitas, siue turpitudo, Suauitati asperitas. Aliquando Apostrophe uel ad se uel ad alios, ut apud Catullum & ad se & ad puellam.

Miser Catulle desinas ineptire,
Et quod uides perijsse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum uentitabas quo puella ducebat,
Amata nobis quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tum iocosa fiebant
Quae tu uolebas, nec puella nolebat,
Fulsere ueri candidi tibi soles,
Nunc iam illa non uult, tu quoque impotens esto,
Nec quae fugit sectare, nec miser uiue,
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale puella, iam Catullus obdurat.

Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulli.
Scelesta te ne? quae tibi manet uita,
Quis nunc te adibit? cui uideberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?

Quoties item sunt quae paria paribus referũtur: quoties siluis, montibus, arboribus, rebus inanimis damus sermonem, uel cum ijs loquimur. Ut in lusibus

Quam puero legem fertur dixisse Priapus,
Versibus hic infra scripta duobus erit.
Quod meus hortus habet, sumas impune licebit,
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

Catullus ad Sirmionem peninsulam

Peninsularum Sirmio insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,
Marique uasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quam laetus inuiso,
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bythinos
Liquisse campos, uidere te in tuto:
O quid solutis est beatius curis
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi, uenimus larem ad nostrum.
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est quod unus est, pro laboribus tantis.

Salue

Salue o uenusta Sirmio atque hero gaude.
Gaudete uos quoque Lydiae lacus, undae
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Energia quasdam rerum quasi ad aspectum subijcit ideas, & species singulari quodam artificio, & ordine, ut exterriti, stupidi, furiosi, iracundi, malitiosi, denique rei quasi faciem depingit. Energia est in uerbis, & rebus. in lusibus

Carminis incompti lusus lecture procaces
Conueniens Latio pone supercilium.
Non soror hoc habitat Phoebi, non Vesta sacello,
Non quae de patrio uertice nata Dea est.
Sed ruber hortorum custos membrosior aequo,
Qui tectum nullis uestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti praetende tegendae,
Aut quibus haec oculis aspicis, ista lege.

Est autem energia item aut in facto, aut in dicto, aut in animo. factum uoco quamlibet rem. ut Catullus ad Lesbiam:

Huc est mens deducta tua mea Lesbia culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa suo.
Vt iam nec bene uelle queam tibi si optima fias
Nec desistere amare omnia si facias.

& . O saeclum insipiens & infacetum.
& alio loco. O uentum horribilem atque pestilentem.

Martialis de Mutio Scaeuola.

Dum peteret regem decepta satellite dextra
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam saeua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire uirum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptae fama est, & gloria dextrae,
Si non errasset fecerat illa minus.

Et illud

O quantum est subitis casibus ingenuum.

Et illud ubi furta mapparum Hermoginis exposuit.

Ad caenam Hermogenes mappā nō attulit unquā,
A caena semper rettulit Hermogenes.

In sententijs quibus rem cōcludimus magna energiae uis inest, & in modo describendi unamquamque rem, & illius adiuncta, quas uulgus circunstantias uocat. Sed hic duo uitia sunt diligenter praecauenda. Primū ne turgeat oratio inani sonitu uerborū: ne-ue torqueatur extra decorum. Secundum ne dictio languescat sine spiritu, & neruis abiecta, aut humili conclusione aut rei totius expositione.

Quibus

Quibus in generibus eloquentiae uersetur epigramma, caput nonum.

Est oratori finitimus poeta, ut docet locis pluribus Marcus Tullius: uersantur pene in eisdem spatijs, eisdem orationis luminibus susceptam materiam exornant: & quae tractanda receperunt, eisdem in generibus eloquentiae expoliunt; quamuis ordine, & modo diuerso. Oratores sane dicuntur de omnibus rebus ornate copiose scienter posse dicere: hoc est bene: Poetae idem praestant numerosa oratione. Illi quamcunque quaestionem ad tria genera eloquentiae accommodant: Hi etiam eisdem in generibus causarum uersantur exponendis rebus: licet sit diuersus utrique finis propositus. Nam in genere iudiciorum quo aliquẽ tuemur siue criminamur siue ab iniurijs uindicamus siue insimulamus uersatur, qui epigrãmata componit, & ut orator oratione id efficit, sic scriptor epigramma tum epigrammate praestat. Catull. in Asinium

Marrucine Asini manu sinistra
N*on bene uteris in ioco, atque uino,*
Tollis lintea negligentiorum
Hoc falsum esse putas fugit te inepte,
Quamuis sordida, res, & inuenusta est,
Non credis mihi, crede Pollioni

Fratri,

Fratri, qui tua furta, uel talento
Mutari uelit, est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non mouet aestimatione,
Verum est μνημοσῦνον *mei sodalis.*
Nam sudaria setaba ex Hiberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius, haec amem necesse est.
Vt Veraniolum meum, & Fabullum

In genere deliberationis est illud Catulli ad Lesbiam.

Viuamus mea Lesbia, atque amemus.
Rumoresque senum seueriorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere, & redire possunt,
Nobis cum semel occiderit breuis lux
Nox est perpetua una dormienda.
Da mihi basia mille, deinde centum,
Deinde mille altera, deinde secunda centum;
Dein usque altera mille, deinde centum,
Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus
Aut ne quis malus inuidere possit,

Cum

Cum tantum sciat esse basiorum.

Plurima sunt in hoc genere apud Catullum & apud Martialem, quae ne multi simus praeterimus consulto. Tu uno exemplo esto contentus, cetera inde petas licet. Genus exornationis est amplissimum, quoniam in id & uirtutes omnes cadunt, ut commendes: & uitia omnia, ut uituperes; & quidquid laude uel uituperatione dignum homines iudicant. Huc gratiarum actio, gratulatio, quaeuis commendatio refertur. est namque forma haec copiosissima oratoribus ad dicendum, & poetis campus latissimus in quo euagari, & excurrere possint: quaecunque facta improbando, laudando, commendando, gratulando. Quocirca tenenda diligenter sunt ea, quae laudari, quaeque uituperari conueniat. Sepienda memoria praecepta, quibus id fiat, comprehendendum animo artificium eius formae, ut cum laude, in eo uerseris. Vide quemadmodum laudat Catullus M. Tullium

Disertissime Romuli nepotum
Quot sunt, quotque fuère Marce Tulli,
Quotque post alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta;
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Ut

Vt illud quo formositatẽ Roscij laudabat Quintus Catullus, quod est apud M. Tullium in primo de natura Deorum.

Constiteram exorientem Auroram forte salutans
Cum subito a laeua
Roscius exoritur
Pace mihi liceat caelestes dicere uestra
Mortalis uisus pulchrior esse Deo.

At Martialis est illud libro septimo epigrammate uigesimoquarto in malum poetam.

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute.
Nulla mica salis, nec amari fellis in illis,
Gutta sit, o demens uis tamen illa legi?
Nec cibus ipse iuuat morsu fraudatus aceti,
Nec grata est facies cui gelasinus abest.
Infanti melimella dato, fatuasque mariscas,
Nam mihi quae nouit pungere, Chia sapit.

Sed ut ingenua est, & honesta laudandi consuetudo, ita illiberalis, & indigna bono poeta uituperandi (nisi uitia accuses). Hoc genere etiam continentur Epitaphia, Elogia, Naenia, Treni, Monodia, Epicedia, de quibus paucis, ubi de epigrammate egerimus.

De conclusione epigrammatis, caput decimum.

Hoc poematis genus etsi totum illustre, elaboratũ industria, perfectum ingenio, studio absolutum esse debet: exitus tamen, & conclusio arguta, & admirabilis expectatur. quae nouitate, concinnitate, argutia, pondere, sale excitet legentium mentes, & oblectet. Nam quoniam ibi aures, animusque conquiescit, qualis illa est; tale totum iudicatur epigramma. Quod etsi sit frigidum totum, & leue, conclusione tamen acuta, & graui haeret animo. Hoc fit sententia, & dictione, cum structura uerborum grauis est: numerus aptus: membra, dictio, dictionisque syllabae; & tempora. Saepe etiam interrogatione; iuuant, & curta membra, ut uersus punctim, non caesim feriat, ut ait M. Tullius. Interdum enim accidit, ut longioribus membrorum interuallis, & sensuum languescat oratio. Danda ergo accurate opera, ut elaborata sit cõclusio. Martialis cum exprimeret dolorem quem Portia uxor Bruti ex interitu coniugis cepisset, ita ut sibi mortem consciscere non dubitarit, cui cum esset remotum ferrum, illa sibi ardentes prunas intra os coniecit, quibus adusta animã efflauit, argute adiunxit in fine

I nunc, & ferrum turba molesta nega,

Eodem modo cum exposuisset porcellos natos esse ex uulnere matris hasta casu coniecta, cuius ictu & sus mater occubuit, & ea plaga exiere porcelli, adiungit.

O quantum est subitis casibus ingenium.

Sint ne aliqua genera epigrammatis, caput undecimum.

QVod si quaeras an sint genera aliquot epigrammatis, iudicandum hoc certe erit, ex rerum natura de quibus illud componitur. Tot enim epigrammatum sunt genera, quot et rerum, de quibus texitur. sed ut discentium minuamus laborem, fructumque aliquem, & utilitatem studiosis afferamus, tollendus est huiusmodi infinitus ambitus; genera usu frequentiora colligenda sunt. Nam etsi de rebus certis, & definitis, de quibus componantur epigrammata nihil possit praefiniri; assignari tamen quaedam rerum genera usu frequentiora possunt, ut facilius, quo intendimus, cum laude perueniamus: sunt enim usurpata quaedam, & trita magis in quibus etiam nostris magnus est usus: quoniam non possunt, ut dixi, certa genera definiri. quia materiae maxima est diuersitas. quae numero circunscripto includi nō potest. Sunt igitur quaedam epigrammata mollia, tenera, uarijs diffusa affectibus,

amoris,

amoris, & beneuolentiae; quo in genere laus est maxima, & decorum languor quidam. exegit enim haec forma animi quasi quandam mollitiem, decore adhibitam. exegit uerba propria; atque hoc in illis ornatissimum, uerba etiam quae diminutiua uulgus uocat, cuiusmodi multa apud Catullum, illud ad Iuuentium

O qui flosculus es Iuuentiorum,
Non horum modo sed quot aut fuerunt
Aut posthac alijs erunt in annis:
Mallem delicias mihi dedisses
Quam isti cui nec seruus est, nec arca,
Quam sic te sineres ab isto amari
Qui non est homo bellus, inquies est.
Sed bello huic nec seruus est nec arca.
Hoc tu quam lubet abijce eleuaque,
Nec seruum tamen ille habet neque arcam.

Et illud ad Iuuentium

Mellitos oculos tuos Iuuenti
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta,
Nec unquam saturum inde cor futurum est.
Non si densior aridis aristis,
Sit nostra seges osculationis.

Multa similia de Veranio, & de Lesbia apud eundem poetam. In lusibus uero

42

Simpliciter tibi me quodcunque est dicere oportet
Natura est quoniam semper aperta mihi.
Paedicare uolo, tu uis decerpere poma;
Quot peto si dederis, quod petis accipies.

Alia sunt acria, uegeta, & uiuida, pleraque apud Martialem; sed nos nonnullorum generum quae magis sunt in usu demonstremus artificium. Unum est genus in quo poetae est proposita foeditas, sed hanc componendi rationem non modo a Rep. Platonis exterminandam, sed ut monstrum et portentum maximum in ultimas terras abijciendam puto. Nec enim digni sunt poetae nomine huiusmodi foedi scriptores: castum, inquit ille, decet esse poetam, pium, nec lutulentas sues, & spurcos canes imitari conuenit. Quocirca de hoc genere ne uerbum faciemus.

De secundo genere epigrammatis, caput duodecimum.

ALterum est genus in quos sibi poeta proponit fel, & amarulentiam quasi quandam: sunt in hoc genere frequentes obiurgationes, detrectationes, maledicta, uirus quasi quoddam diffusum. In hoc genere bono uiro uersari licet, dummodo sine opprobrijs, & contumelijs illud exerceat. conuicia uero sint ciuilia, ad deprauatam

prauatam uiuendi consuetudinem notandam, moresq́; malos reprehendendos. Catullus in Furium

Furi cui nec seruus est, nec arca;
Néc cimex, nec araneus, nec ignis.
Verum est, & pater, & nouerca; quorum
Dentes uel silicem comesse possunt.
Et pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis,
N*ec mirum. Bene nam ualetis omnes.*
Pulchre conquoquitis, nihil timetis;
Non incendia; non graues ruinas:
Non facta impia, non dolos ueneni:
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est habetis,
Sole & frigore, & esuritione.
Quare non tibi sit bene, atque beate?
A te sudor abest, abest saliua,
Muccusq́ue, & mala pituita nasi.

Et quae sequuntur.

Martialis ad Gelliam lib. quinto epigrammate trigesimo.

Si quando leporem mittis mihi Gellia dicis
Formosus septem Marce diebus eris.
Si non derides, si uerum lux mea, narras:

Edisti

Edisti nunquam Gellia tu leporem:

Ad Gallum eodem libro epigrammate ſeptuageſimoquarto.

Nunquam me reuocas, uenias cum ſaepe uocatus,
Ignoſco nullum ſi modo Galle uocas.
Inuitas alios, uitium eſt utriuſque quod inquis?
Et mihi cor non eſt, nec tibi Galle pudor.

Eodem libro epigrammate nonageſimoprimo in Ligurinum.

Occurrit tibi nemo quod libenter
Quod quacunque uenis fuga eſt & ingens
Circa te Ligurine ſolitudo.
Quid ſit ſcire cupis? nimis poeta es.
Hoc ualde uitium periculoſum eſt:
Non Tigris catulis citata raptis,
Non Dipſas medio peruſta ſole,
Nec ſic Scorpius improbus timetur,
Nam tantos rogo quis ferat labores?
Et ſtanti legis, & legis ſedenti,
Currenti legis, & legis cacanti,
In Thermas fugio, ſonas ad aurem:
Piſcinam peto, non licet natare:
Ad caenam propero, tenes euntem:
A caena uenio, fugas ſedentem:
Laſſus dormio, ſuſcitas iacentem,

Vis

Vis quantum facias mali uidere,
Vir iustus, probus, innocens, timeris.

De tertio epigrammatis genere, caput decimum tertium.

Huic proxima est alia ratio componendi epigramma, sed illa re differt, quod quantum fieri potest abstinet a maledictis, acumine tamen quasi quodam mordet. Totum uidetur comparatum ad excusandū, & accusat, uidetur laudare, & uituperat. Genus est acutum, mordax, dicax, in eo poeta argute carpit, & salse eludit eum, in quem componitur. Qui componit nihil minus uidetur uelle, quam ut carpat, id tamen acumine quodam praestat. Vt Martialis libro secundo in Taurum epigrammate sexagesimo sexto.

Dummodo causidicū, dum te modo Rhetora fingis,
Et non decernis Taure quid esse uelis:
Peleos, & Priami transit, uel Nestoris aetas,
Et fuerat serum iam tibi desinere.
Incipe tres, uno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte uales.
Si schola damnatur, fora litibus omnia feruent,
Ipse potest fieri Marsia causidicus.
Eia age rumpe moras, quo te expectabimus usque?

Dum

44

Dum quid sis dubitas, iam potes esse nihil.

Eodem libro epigrammate sexagesimonono in Classicum.

Inuitum caenare foris te Classice dicis;
Si non mentiris Classice, dispeream.
Ipse quoque ad caenam gaudebat Apicius ire,
Cum caenaret erat tristior ille domi.
Si tamen inuitus uadis, cur Classice uadis?
Cogor ais, uerum est, cogitur & Selius.
En rogat ad caenam melior te Classice rectam,
Grandia uerba ubi sunt? si uir es, ecce nega.

Et illud in Velocem.

Scribere me quereris Velox epigrammata longa,
Ipse nihil scribis, tu breuiora facis.

De quarto genere epigrammatis, caput decimumquartum.

F*Orma quarta est tota sale condita, & iucunda, urbanitate lepida, & uenusta. In hoc genere requiritur salsus quidam, & urbanus lepor, qui sensus animi iucunditate quadam perfundat, risumque moueat, non nimia dicacitate, nec mordacitate. Vitantur hic contumeliosa uerba; absunt maledicta, & quae foede, & sine decoro fiunt; ad risum comparantur non ad*

inferendam iniuriam; sed ad iocum & ludum. Vt Martialis libro tertio epigrammate uigesimo inquirit, quid agat Canius, & tandem concludit illum nihil aliud agere quam ridere.

Dic Musa quid agat Canius meus Rufus?
Vtrum ne chartis tradit ille victuris,
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus astruit scriptor?
An æmulatur improbi iocos Phaedri?
Lascivus elegis an seuerus Herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola poetarum?
Lepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit porticum terit templi,
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatae sole rursus Europae,
Inter tepentes post meridiem buxos,
Sedet ambulatve, liber acribus curis?
Titi ne thermis, an lauatur Agrippae?
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An aestuantes iam profectus ad Baias?
Piger Lucrino nauiculatur in stagno?
Vis scire quid agat Canius tuus? ridet.

45

Libro undecimo in Parthenopaeum epigrammate octuagesimoseptimo.

Leniat ut fauces medicus, quas aspera uexat
Assidue tussis, Parthenopaee tibi.
Mella dari, nucleosque iubet, dulcesq; placentas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus,
Non est haec tussis Parthenopaee, gula est.

De quinto genere epigrammatis, caput decimum quintum.

Componuntur quaedam epigrammata quinto genere, ea ratione, ut sibimet insterit, tota sint densa, conferta, & multiplicia: quando ita singulis quibusque locis, & partibus res grauiter, & acute conferuntur, ut quouis loco, & quauis parte sententia terminari, concludique possit. Deducitur uero ut sententia semper crescat. Hoc ingenijs felicibus usu euenit. non quibuscunque. Nam magno artificio opus est, singulari acumine, & prudentia. Ego & si non unũ uel alterum qui omnes numeros in hoc genere expleat, reperio colligam certe aliquod apud Martialem, ex quibus tu quid tibi in huiusmodi forma praestandum sit intelligas. Martialis lib. 1. epigrammate 90. de Gellia.

Amissum

Amissum non flet cum sola est Gellia patrem,
Cum quis adest iussae prosiliunt lacrymae.
Non luget quisquis laudari Gellia quaerit,
Ille dolet uere qui sine teste dolet.

Eodem libro epigrammate centesimo undecimo ad Olum.

Cana est barba tibi, nigra est coma, tingere barbam
Non potes, haec causa est, sed potes Ole comã.

Venustum illud centesimum quinquagesimum quartum de Catella Publij.

Issa est passere nequior Catulli,
Issa est purior osculo columbae,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior Indicis lapillis,
Issa est deliciae catella Publi,
Hanc tu si queritur, loqui putabis,
Sentit tristitiamque, gaudiumque,
Collo nexa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur;
Et desiderio coacta uentris,
Gutta pallia non fefellit ulla,
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi monet, & rogat leuari,
Castae tantus inest pudor catellae.
Ignorat Venerem, nec inuenimus

Dignum tam tenera uirum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam
Pictam Publius exprimit tabella,
In qua tam similem uidebis Issam,
Vt sit tam similis sibi nec ipsa,
Issam denique pone cum tabella,
Aut utramque putabis esse ueram,
Aut utramque putabis esse pictam.

De sexto genere epigrammatis, caput decimum sextum.

Est hoc genus nobile, & magnificum, generosum, & splendidum, absolutum prudentia quadam, & aequalitate plenum: in quo cum grauitate uenustas miscetur: acumen cum lenitate temperatur: numerus quasi ibi natus uidetur, non aliunde eo deflexus: non translatus ambitiose, aut labore quaesitus. In quo semper usque ad extremam conclusionem legentis animus est suspensus; cuius desiderium expletur sententia excepta. Conditur enim ex quaesita quadam argutia, & numeroso dicendi genere perficitur. In eo respondent aut partes partibus, aut extrema conclusio superioribus omnibus. Vt illud in lusibus.

Cur obscaena mihi pars sit sine ueste requiris,

Quaero

Quaero tegat nullus cur sua tela Deus?
Fulmen habet mundi dominus tenet illud aperte,
Haec datur aequoreo fuscina tecta Deo?
Nec Mauors illum, per quem ualet, occulit ensem,
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phaebum portare sagittas?
Clam ne solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosae robora clauae?
Sub tunicam uirgam, num Deus ales habet?
Quis Bacchum gracili uestem praetēdere Thyrso?
Quis te uelata cum face uidit Amor?
Nec mihi sit crimen quod mētula semper aperta est,
Hoc mihi si telum desit inermis ero.

Martialis uero de amphitheatro Domitiani.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus iactet nec Babylona labor.
Nec Triuiae templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec uacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Caesareo cedat labor amphitheatro.
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

De septimo

De ſeptimo genere epigrammatis, caput decimum ſeptimum.

SEptimum genus eſt amatorium molle, & placidũ, quod influat in ſenſus & moueat. Non tamen amet turpitudinem, fugiatque illam obſcaenitatem, quam de induſtria ſectati ſunt plerique ſpurci, & foedi homines, in componendo. qui ſua turpitudine ſeſe indignos effecerunt, qui ab ingenuis legantur. Reſpuunt enim aures caſtae, & honeſtae huiuſmodi effrenatam libidinem, & hanc immoderatam impudentiam deteſtantur. Nam huiuſce faeditatis auctores, nõ modo ex hominum ſocietate expellendos putabat diuinus Plato, ſed peſtes Reip. & carnifices iuuentutis uocabat. Quod & bonorum morum hoſtes, & caſtimoniae, integritatis, uerecundiae depopulatores quaſi quidam eſſent. Archilochum ob hanc foeditatem Athenienſes de patria exterminarunt: Ouidium haec praeclara doctrina in exilium perpetuũ relegauit. obſcaeni itaque & ab honeſtate alieni uerſus non ſolũ uiri Chriſtiani auribus ſunt indigni, ſed nobilis, & liberaliter educati, famae & dignitati pernicioſi. Tu ſi me audis, abſtine, ne ſi turpibus inſiſtas turpis ipſe euadas. epigrammata turpia, obſcaena, inhoneſta, ut ſcopulum euitabis componendo: leges ut linguae candorem, nito-

rem

rem uersuum, numerorum uarietatem, in ueteribus notes; quoniam alia ipsorum fere non habemus. Quae inopia bonorum exemplorum efficit, ut ego ipse qui non modo turpia fugienda esse admoneo, sed ea etiam quae uel solam umbram habeant obscaenitatis relinquenda, utar aliquando in exemplis, quod noua afferre indignum iudico, uetera uix possum meliora colligere quam ea in quibus turpitudinis insit species. quod illi uidelicet in eo fuerunt ingeniosi in quo nobis perniciosos esse uidemus. Elige potius congruentem conuenientemque uitam, honestati instituere sine ijs, quam illis ducibus turpitudinem, foeditatemque prae te ferre. Corrumpuntur enim huiusmodi carminibus mores, uita de prauatur, homines pecudibus similes efficiũtur. Quid enim aliud quisque sit, quam id cuius uel lectioni studet, uel studio delectatur? Componantur tamen in hoc genere epigrammata, quae sint liberalia & ingenua, sint uerecunda, modesta, candida, culta, tersa, mollia, affectuum plenissima, & quam uarius est amantium affectus, tam uaria sint ipsa. Sint interdum mutila, & deficientia. Nam maxima amantis sapientia est, nonnunquam una amentia; quae exprimetur in epigrammate, dum uel sententiae deficiunt, uel sunt mutilæ, uel repetuntur. Cum uaria desideria exponuntur, multiplices, et cõtinuae cogitationes, somnia, uisa,

praesagia,

praesagia, collocutiones fictae. Cauendum tamen est diligenter, ne sint frigida, languida, inculta, puerilia. Multa sunt apud Catullum huius generis, praeclara multa apud Martialem. Nam est hoc genus uarium & in eo poetarum antiquorum multa fuerunt praeclara. de quibus, quia sunt pleni libri scribendis exemplis supersedeo.

De octauo genere epigrammatis, caput decimumoctauum.

Q*Uoddam est genus iucundissimum, acutum & facetum, cum Echo in fine uersuum respondet, uel in medio, & sententiam uel illustrat eandem: uel diuersam exorditur. In hoc genere Latini fuerunt feliciores Graecis. Hoc compositionis genere poeta sibi magnam auditorum attentionem comparat, et uolupta tem efficit non mediocrem. In hoc genere illud est elegans, quoties extrema etiam uerba mutantur, & expectatio auditoris diuersa conclusione deluditur. uerbi gratia si sint nobiles non respondeat biles, sed uiles. Nam hoc modo uersus terminatur suauius. Qua nouitate maiorem inuentionis laudem consequitur poeta si concinne id efficiat, quam si ueteres imitando sequi studeat. Est illud elegans ueteris poetae: multa similia circunferuntur.*

Quae celebrat Thermas Echo, et stagna alta Neronis
Deludit uoces concaua saepe meas.
Saepe hic Narcissum expecto simul illa moratur,
Si queror, haec queritur, si gemo, & illa gemit.
Quis nam clamor? amor. quis nam furor? uror.
Echo quae grauior paena in amore? morae.
Expectas Narcissum? ipsum. quae causa morandi?
Orandi. Num isthaec dicta notabit? abit.
Adfuerat? fuerat. ne isthic? hic. quem fugit iste?
Is te. etiam me? Me. quod malum amare? mare.
Non ueniet? ueniet. quae spes? aes. Vincitur auro?
Auro. Victor ero prodigus aeris? eris.
Sunt pueri fragiles? Agiles. ui muneris? aeris.
Quis docet hoc? Echo, cum bene clamat, Amat.

Habetur etiam illud genus salsum, ornatum, & urbanum, cum res aliae, ex alijs quasi subordinantur cum nouitate aliqua. Quae nouitas mutati uerbi, uel syllabae, uel litterae habet leporem, ut illud.

Spernitur haereticis, pietasque, fidesque, Deusque,
Cur? quia non aliud uiuere, quam bibere est.

Illud hoc loco non puto esse praetermittendum, non esse uidelicet conuertendos numeros ad allusionem nominis. Quoniam nihil est stultius, nihil ineptius eo studio, cum habeas animi, corporisque dotes, & campum latissimum uirtutum, in quo possis euagari, & excur-

rere. Nam facta argumentum suppeditant, res gestae, aetas, munia, dignitas, generis antiquitas, nobilitas, dicta, consilia, ornamenta alia, in quibus praedicandis finem non inuenies. Aliquando tamen ad uituperandum non inepte licebit uti, ut Ouidius

At cur non dicam Furia, te Guriam?

De epitaphio caput decimumnonum.

S*Vnt praeterea quaedam genera epigrãmatis, quae epitaphia dicuntur: quae fere in exornatione sunt posita. Est autem epitaphium inscriptio, quae in sepultura fit, quae docet, cuius ossa tegantur ea mole, quod eius plerunque nomen aetas, dignitas, munus, facta, & huiusmodi alia. More ueterum indicat Virgilius.*

Et tumulum facite, & tumulo superaddito carmen.

Daphnis ego in siluis hinc usque ad sidera notus.

Epitaphium autem prius fuit oratio funebris, quae praeclara facinora, & res bene pro patria gestas uiri alicuius demortui, aut demortuorum aliquorum declarabat publico praeconio, quae habebatur ad tumulum uita functorum. Huiusmodi epitaphium extat apud Thucydidem; scriptum etiam reliquit epitaphiũ, siue funebrem orationem Diuinus Plato, quam ipse composuit in funere eorum, qui ob patriam obierunt. Illa

adeo

adeo probata fuit omnium consensu, ut institutum fuerit quotannis eam publice recitari. Haec oratio more ueterum modo uersu constabat, & dicebatur carmen inferiarum, siue parentalia; modo soluta oratione, & funebris oratio appellabatur. Nos hodie ea, quae ad sepulturam in demortuorum interitum componuntur epitaphia nominamus, siue illud incidatur, siue in librum referatur. Eius materia diuersa ratione tractatur; diuerso modo. pro imperatore, pro exercitu, pro Rege, pro publico magistratu, pro puero, pro sene, pro adulto, pro foemina: proprie, & apte accõmodandum est. Aliquando per exclamationem: modo per interrogationem, ut nosmetipsos rogemus; ut expectemus respõsionem; deinde percontemur alia: Vt loquamur cum urna, siue tumulo, petamus à nobis ipsis rationem cõsilij nostri, significemus interdum quid nos loqui, quid silere cogat; quo dolore afficiamur: quod officium exigat, & uirtutes demortui postulent, loqui nos: quamuis impediat luctus. Decet inuehi in mortem, in causam interitus: si pestis, si bellum, si casus, si aqua, si ignis, si mare, si ager, si uilla: licet excurrere in pericula detestando, accusando Parcas, in aetatem, in tempus, in Persephonen, in Ditem, in Solem, qui aspexit, & passus est; in lunam, in diem; qui non obduxit omnia nebulis; in partem anni, aestatem, hiemem &c.

Consolari conuenit propinquos, amicos, socios: polliceri uitam beatam; precari quietem, gaudium, uitam perpetuam. Alloqui interdum saxum, tumulum, uiatorem, lectorem, amicum quempiam, patriam, domũ, familiam, & sic de ceteris. Nonnũquam colloquemur cum posteritate, ut non obliuiscatur laudis illius, & famae: accusabimus fortunae inconstantiam. Si sapiens, qui uita est functus, alloquemur Musas; Apollinem, Mineruam, Montes sacros Musis, fluuios, et patriae flumina, ut si Romanus, Tiberim; si Florentinus Arnum, si Neapolitanus Sebethum; Si miles, Martem, Bellonam; si sacerdos, antistes, uir iustus; pietatem, religionem, fidem, uirtutes omnes: si nauta mare, & maris omnia, & sic de ceteris. Demonstrabimus bona, quibus demortui perfruantur in beatorum contubernio; quid in terris consequantur, honores, titulos, famam, memoriam sempiternam. Declarabimus studia, aetatis gradus, dotes animi, facta, ingenium. Haec in uniuersum dicta sint, unde petatur argumentum componendi epitaphium. Sed praecipuas epitaphij partes assignemus. Eae sunt potissimum luctus, laudes, consolatio, exhortatio, explicatio damni, & iacturae, amplificatio rerum, ut desiderium amissi augeatur: addenda tamen consolatio. Fuerunt ueterum simplicissima epitaphia nonnunquam, culta, & ele-

gantia.

gantia. Illud poetae Pacuuij.

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat
Ut se aspicias; deinde quod scriptum est legas.
Hic sunt poetae Pacuuij Marci sita
Ossa: hoc uolebam nescius ne esses: Uale.

Illud Plauti.

Postquam est morte captus Plautus
Comoedia luget; scena est deserta,
Deinde risus, ludus, iocusque & numeri,
Innumeri simul omnes collacrymarunt.

Illud Virgilij.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.

Illud Diogenis Cynici, cuius signum sepulturæ appositum, erat canis.

Dic canis hic cuius tumulus? Canis. At canis hic qs?
Diogenes. Obijt? Non obijt, sed abijt.
Diogenes cuius pera penus: cui dolia sedes
Ad manes abijt? Cerberus ire uetat.
Quonam igitur? clari flagrat qua stella leonis,
Additus est iustæ nunc canis Erigonae.

Illud etiam non ignobile D. Alfonsi Aualli Marchionis Piscarij.

Quis iacet hoc gelido sub marmore? Maximus ille
Piscator, belli gloria, pacis honos.

Num

Num quid et hic pisces cepit? nō. ergo quid? Vrbes,
Magnanimos reges, oppida, regna, duces.
Dic quibus haec cepit Piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tm̄ rapuere ducem? duo numina Mars, Mors.
Ut raperent quidnam compulit? Inuidia.
Nil nocuere tamen, uiuit nam fama superstes,
Quae Martem, & Mortē uincit, & Inuidiā.

De Nænia caput uigesimum.

E*Pitaphij nomine complectebantur ueteres Næniā, quo nomine deam funerum, etiam appellabant, ut Festus, & D. Augustinus docent. Dicebatur uero Nænia epitaphium, seu carmen, quod ad rogum canebatur, si uero sepulturae scriberetur, epitaphium. In Naenia multa dicebantur de eo, cuius combureretur corpus, more ueterum, uel tegeretur sepultura, quae ad commendationem, ad lamentationem, & luctum facerent. Sit illud optimū Naeniae exemplum in quarto Aeneidos. Ubi Dido antequam sese in rogum conijciat, sibi carmen lugubre concinit, quod quemuis uel ferreum facile moueat.*

Dulces exuuiae, dum fata, deusque sinebat,
Accipite hanc animam, meque his exoluite curis.

Vixi,

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi,
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui, mea maenia uidi,
Vlta uirum paenas inimico a fratre recepi,
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.
Dixit, & os impressa toro, moriemur inultae?
Sed moriemur ait. Sic sic iuuat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & nostrae secum ferat omina mortis.

De Epicedio caput uigesimumprimum.

Epicedium erat carmen, quod pronuntiabatur in exequijs dum soluerentur iusta. Nam ut scribit Ammonius Epicedia sunt, quae laudem demortui continent cum commiseratione. Dicitur uero Epicedium corpori non dum sepulturae mandato, quod semel tantum pronuntiatur, Epitaphia uero etiam anniuersaria erant, ut Athenis, ut & Artemisiae imperio, ad Mausoleum mariti fiebat quotannis. Sit Epicedij exemplum illud in nono libro Aeneidos, ubi mater cadauer filij Euryali alloquitur.

Hunc ego te Euryale aspicio? tunc ille senectae
Sera meae requies? potuisti linquere solam

Crudelis?

Crudelis? nec se sub tanta pericula missum
Affari extremum miserae data copia matri?
Heu terra ignota, canibus data praeda Latinis,
Alitibusque iaces: nec te tua funera mater
Produxi: pressive oculos, aut uulnera laui.
Veste tegens, tibi, quam noctes, festina dies que
Vrgebam, & tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quae nunc artes, auulsaq; mēbra
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? hoc sum terraque, marique secuta?

Simile illud in extremo decimo, ubi Mezentius deplorat Lausi interitum; & in undecimo, ubi uel Aeneas, uel Euander deplorant Pallanta immatura morte praereptum: quae non adiungo ne sim multus. Nōnunquam in Epicedio est permixtum elogiū, ut eo loco.

Te nemus Angitiae, uitrea te Fucinus unda,
Te liquidi fleuere lacus? Quando uero ad tumulum recitabatur, iam non Epicedium, sed Epitaphium nominabatur, ut illud Catulli ad fratris tumulum.

Multas per gentes, & multa per aequora uectus
Aduenio has miseras frater ad inferias,
Vt se supremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi sese abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.

Nunc

Nunc tamen interea prisco, quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad exequias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater aue, atque uale.

De Monodia, caput uigesimumsecundum.

Monodia item in funere intelligebatur. erat autẽ carmen lugubre, quod ab aliquo uoce subtristi canebatur ad mouendos affectus, & eliciendas lacrymas. Nec tamen idem est cum Threno de quo mox dicemus; fuit enim Monodia quoties unus prodibat in medium, qui defuncti memoriam uoce moesta, & lugubri carmine prosequeretur; idque uel ad tibiam fiebat, uel uersu musicorum modulis temperato. Quod exemplum subijciam non inuenio, nisi ex choro Tragoediae desumam, ut illud apud Senecam in Hippolyto.

Huc huc reliquias uehite cari corporis
Pondusque, & artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? facinus agnosco meum,
Ego te peremi, neu nocens tantum semel
Solusue fierem facinus ausurus parens,
Patrem aduocaui: munere en patrio fruor.
O Triste fractis orbitas annis malum,
Complectere artus, quodque donati est super,

Miserande moesto pectore incumbens forte.
& quae sequuntur.

De Threno caput uigesimumtertium.

THrenus Latine sonat luctus; fuit genus carminis, quo deflebant ueteres euersionem urbium, ut in diuinis litteris uatem sanctissimum uidemus deflere casum acerbum ciuitatis sanctae. Sed usus etiam latius patet, ut ex inuentione intelligimus. Nā ut docet Pausanias, cum Herculi succenseretur huius doctor, quod uidelicet discipulus ineptior ad discendum esset; ille ita commotus ingrato animo in doctorem saeuijt, atque interemit; Ceteri Lini auditores carmine lugubri peremptum doctorem deplorarunt. Id genus carminis usurparunt deinde praeficae, quae deplorandis uita functis uictitabant. Habebant namque compositum carmen accommodatum omnibus funeribus; quod cuiuis funeri accommodabant. Mutatis enim nominibus uita functorum, & familiarium propriū faciebant. Viget hodie is mos in Sicilia, & peruersa inueterauit consuetudo. Nam praeficae, pretio conducuntur, ut praecinant uoce lugubri, quaedam carmina, ad quae eiulatu, & fletu cognati, & propinqui defunctorum respondeant. Quam consuetudinem tamen, ut indignam ijs,

qui

qui aeternam, in mortalem uitam esse confitentur sustulit lege Praetor optimus Ioannes Vega: quamuis deprauata licentia lege coerceri iure ad hanc diem potuit. Canebatur item Threnus in ipsa calamitate ab ancillis antequam cadauer terrae mandaretur, postea etiam quam conditum esset; & anniuersarijs inferijs.

De Elogio, caput uigesimumquartum.

E*Logium etiam dicebatur, quoties sententia aliqua numeris includebatur in commendationem, uel detestationem alicuius personae. Siue celebre aliquod dictum dignum memoria, quae alicuius contineret laudem, uel uituperationẽ; ut Marcus Tullius, & Quintilianus docent. Refert illud Marcus Tullius in libro de Senectute. Solonis quidem sapientis Elogium est, quo se negat uelle suam mortem dolore amicorum, lamentisque uacare. In prima uero quaestione Tusculana. Quid ipsa sepulcrorum monumenta? Quid elogia significant, nisi nos futura cogitare. Elogium uero etiam est honoris significatio, quae ex poetae opinione, & iudicio proficiscitur, quale illud apud diuinum poetam in nono libro, de Niso, & Euryalo.*

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori uos eximet aeuo:

54

Dum domus Aeneae Capitoli immobile ſaxum
Accolet: imperiumque pater Romanus habebit.

In deteſtationem illud in octauo libro Aeneados de Caco.

--- Nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, uultum, uilloſaque ſetis
Pectora ſemiferi, atque extinctos faucibus ignes.

Eſt illud ſimplicisſimum Eloquium in imagine Ennij poetae.

Aſpicite ò ciues ſenis Ennij imaginis formam,
Hic cecinit ueſtrum maxima facta patrum.

Illud compoſitum magis, & uenuſtum in libro ſecundo Aeneidos de Priamo.

--- hic exitus illum
Sorte tulit Troiam incenſam, & prolapſa uidentē
Pergama, tot quondam populis, terrisq; ſuperbū
Regnatorem Aſiae, iacet ingens littore truncus
Auulſumq; humeris caput, & ſine nomine corpus.

Nec uero locum elegantiorem poſſum proferre, quam illum diuini poetae, in quo elogium complectitur in laudem filij, & deteſtationem parentis Mezentij.

Filius huic iuxta Lauſus, quo pulchrior alter
Non fuit excepto Laurentis corpore Turni.
Lauſus equum domitor, debellatorque ferarum
--- dignus patrijs, qui laetior eſſes

Imperijs,

Imperijs, & cui pater haud Mezentius esset.

De Aenis, caput uigesimumquintum.

VEtustissimum fuit Epigrammatis genus, quod Hesiodus Aenum uocauit, in quo inessent fictiones, (t) quasi quaedam picturae, & rerum imagines, Cum aliud aperte prae se ferunt, aliud uero significant, & tacite profitentur, ut illud Horatij ad Brutum ode decimaquarta libro primo.

O nauis referent in mare se noui
Fluctus; ò quid agis fortiter occupa
Portum: nonne uides ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant? ac sine funibus
Uix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor? Non tibi sunt integra linea,
Non dij, quos iterum pressa uoces malo
Quamuis pontica pinus
Siluae filia nobilis,
Iactes & genus, & nomen inutile:
Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit: tu nisi uentis

Debes

Debes ludibrium caue,
Nuper sollicitum, quae mihi tedium,
Nunc desiderium, curaque non leuis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

Huc etiam referunt ea Epigrammata, in quibus non modo animalia rationis, sermonisque expertia loqui fingimus, sed etiam uestes, enses, arma, ornamenta, instrumenta artium, & alia huiusmodi. Sed in his omnibus Epigrammatum generibus leges uetustatis obseruandas censeo; quas in ueterum monumentis, & scriptis uidemus; illud tamen animaduertamus, ut quam simplicissimo charactere, & forma deducamus rei gestae narrationem, uictoriae, familiae, patriae, & hanc puritatem nullo ambitionis studio custodiat diligenter, qui laudem uult consequi.

De Palinodia, caput uigesimumsextum.

PAlinodiam primus dicitur composuisse Stesichorus poeta Siculus. Erat autem Palinodia certum genus epigrammatis, siue epigramma totum in laude cõsumptum. Nam cum prius aliquem uituperasset poeta, cuius scriptionis eum penituisset, recantabat iterum, & eum, quem accusarat, laudabat rursus, & quae

probra coniecerat, eleuabat commendando, reuocabatque sententiam negando quod assertum fuerat prius. Tale illud apud Horatium ode decima sexta lib. primo.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque uoles modum
Pones Jambis, siue flamma
Siue mari libet Adriano?
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius.
Non liberaeque, non acuta
Sic geminant Corybantes aera.
Tristes ut irae: quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec saeuus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Defectam, & insani Leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.
Jrae Thyesten exitio graui
Strauere, & altis Vrbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus; imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens
Compesce mentem me quoque pectoris

Tentauit

Tentauit in dulci iuuenta
Feruor, & in celeres iambos
Misit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Dum mihi fias recantatis amica
Opprobrijs; animumque reddas.

Haec, & huiusmodi ad Encomia reducuntur ut Paeanes, & scolia; de quibus alio loco, ut institutum absoluamus.

De ijs rebus, quibus perfectum fiat epigramma, caput uigesimumseptimum.

PErficitur epigramma, & absoluitur suis numeris, ut quodcunque aliud poematis genus, duplici ratione, imitatione, & iudicio: quae tamen inter se copulata, non disiuncta intelligi uolo: Haec enim duo coniuncta inueniantur, necesse est in eo, qui sit compositurus. Nam ijs duobus uniuersum fere negotium absoluitur: cum ut imitemur, tum ut statuamus quid, & quatenus imitari debeamus: quaeve sit forma imitādi eligenda. Hoc fieri non potest quin prius poetam probemus, & imitandi speciem, siue ideam hanc, uel illam, & praestantissimam, & ingenio nostro accommodatam, naturaeque aptam iudicemus. Quamuis

enim primi, quem ſequerentur non habuerint, nobis tamen tantopere eſt neceſſaria imitatio, & expetenda, ut ſine ea uix poetae nomen ſuffurari poſſimus. Nec enim hac tempeſtate illo ſtudio, & contentione, qua ueteres, indagamus componendi rationem, & formam eligimus: ſed quaſi alıud agentes, operam uel exiguã ponimus in eo ſtudio, in quo illi omne tempus, & aetatem collocabant. Adde quod inconſtantia fortunae impedimur, temporum aduerſa conditione, iniquis uiciſſitudinibus rerum. Nec inuitamur ijs praemijs, quibus illi, nec eo in honore eſt poetica, quo apud antiquos fuiſſe accepimus. Peregrini praeterea in linguam Latinã incidimus non modo qui extra Italiam, ſed qui in ipſomet Latio nati educatique ſunt. Quod ſi aurea illa, & florentiſſima Romani ſermonis quaſi aetate, cum linguae dignitas ſuam eſt quaſi maturitatem conſecuta, ueteres illi ſingulari ingenio, & doctrina uiri nihil aggrediebantur ſine imitatione: Nos hoſpites, & oſcitantes ſine ea quidquam magnopere admirandum poſteris poſſe nos relinquere arbitrabimur? Nonne bonus ille, & urbanus poeta, qui imitatores ſeruum pecus uocat, & imitandi ſtudium improbare uidetur, nõne inquam, is ipſe ſine imitatione ueterum putat nihil laudabile poſſe fieri? Nonne ijs praecipit in arte poetica ut nocturna, & diurna uerſet manu auctorũ Grae-

corum uolumina is, qui aliquid admiratione dignum uult componere? Jlle idem primum in ijs ſpatijs conſtitit, in quibus pedem poſuerat Lucilius: ac uix ille ueſtigia impreſſerat, cum hic eiſdem impreſſionibus gradum fixit. Epiſtolas uero compoſuit more Theognidis, & Phocyllidae. In lyricis nemo negat illum pedem ab imitandi ratione dimouiſſe; quod declarant loci innumeri de Graeco in Latinum ſermonem mutati; ut per quos profecerat, admoneret per eoſdem nos proficere poſſe, ſi ut ille, nocturna uerſaremus manu, uerſaremus diurna exemplaria Graeca. Sed in primis iudicium adhiberi conuenit in eo, ut optima quaeque ſeligamus ad imitandum: Vbi uero compoſuerimus, ea quaſi peregrina perpendamus, & aeſtimemus perinde ac ſi eſſent aliena. Videndum igitur diligenter eſt, quomodo ueteres animi ſenſa expoſuerint, quae poetica iudicarint, quae non: quo ordine, quibus luminibus, & figuris, quibus numeris, qua longitudine, qua ratione, & in ſingulis accommodemus epigramma noſtrum. Jlli paruis carminibus ſententias exiguas item includunt, nos decorũ inſpicientes ſeruemus. Jlli alia Iambicis, alia Hendecaſyllabis, alia alijs numeris ſunt cõplexi; conemur nos proxime accedere, & bonos quoſque imitando adaequare, ſi laudem conſequi uolumus: ſed de numeris deinde pauca erunt ſubiungenda.

Quomodo

Quomodo sit expoliendum epigramma, caput uigesimumoctauum.

ANimum censoris uult Horatius, sumat, qui recte corrigere debet epigramma, & quoduis poema, & illud laudat in Quinctilio Varo, quod ille multa aliter esse efferenda diceret, quam quae primo illo ardore animi, & quasi impulsu protulisset; quod si corrigi uersus, & sententia non poterat; honestius iudicabat expingi omnino, quam in quo uitij aliquid inesset, praetermittere; atque ideo delere iubebat. Diligenter igitur curandum est, ne nos ille amor nostrarum lucubrationum, & scriptionum decipiat, efficiatque ut illa probemus, quae alioqui uitiosissima sunt. Nã sunt ueluti quidam ingenij partus, ea, quae componis; ut uero beneuolentia in liberos efficit, ut multa, quae in alijs non toleraremus, in ipsis patiamur, laudemus, efferamus. Et qui alioqui turpes sunt, & foedi nobis formosissimi uidentur: ita nostrarum scriptionum gestiens uoluptas, & amor plerunque nobis aciem mentis perstringit, ut ne errores quidem grauissimos uideamus: qui in alijs ne excusationem quidem ullam accipere uelimus. Cogitet igitur qui suum expolit epigramma, illud exagitandum esse, & aestimandum alia trutina, & statera; quam ea, quam adhibeat sui amor.

Exagitet ergo; & emendet, expoliat, limet: Multo enim est satius nos nostra studio, & diligentia corrigere, perfectaque reddere industria, & labore, quam ut morosi lectores insectentur, uituperent, dilacerent. Hoc ut assequamur praestat ubi composuerimus remouere aliquandiu, & asseruare dum ille animi ardor deferuescat: qui nostra nobis commendat, nec sinit uitia uidere. Deinde uero ea ut si alicuius essent inimici insectemur, notemus inuentionem, dispositionem, & ordinẽ, uarietatem, locutiones, numeros, ieiunitatem; superflua, & quae uitiosa iudicauerimus conemur remouere. Quam apte, quam proprie dicantur animaduertamus: ne amplificare uolentes imminuamus, uel cõtra; applicemus omnia; perseueremus in similitudine, & in metaphora; in argumento ne misceamus multa aliena, ne ex quouis genere florum texamus corollas; sed omnia aequa bilance examinemus: & quae in alijs aut non probamus, aut non patimur, in nobis ne feramus. Deleamus, mutemus, expurgemus quamuis inuita recedant: nec tanti unum, uel alterum uersum faciamus, ut ordinem, & decorum paruipendamus, dũmodo illum inseramus. Quoniam demonstrat hoc inopiam ingenij, & iudicij. Oportet poetam esse liberalem, nec nimis religiosum in mutando, & delendo etiam, quae multo labore composuit. Nec uero semel hoc studium

dium limandi est adhibendum, sed saepius. Iuuat etiã audire sententiam eorum, qui in eo studio excellent, quoniam semper sumus meliores iudices in alienis, quã in nostris. Locutiones examinare adhibitis Lucretio, Virgilio, Catullo, Tibullo, & Horatio. Numeros adhibito in suo quoque genere principe poeta, decorum, et ordinem expendere ex arte Rhetorica, cetera suo item modo, & ratione. Hoc est, quod Horatius commendat tantopere ut nonum prematur in annum. Non quod illa mora, afferat quicquam absolutioni, sed quia erit tẽpus emendandi, expoliendique accuratius. Quemadmodum uero singula debeamus expendere, non erit ab re si eandem rem à diuersis poetis tractatam subijciamus, ut qui superior, qui inferior fuerit uidere possimus, & quibus rebus id fuerit assecutus, ut nos ad illam perfectionem in componendo accommodemus, & in emendando quid examinare debeamus animaduertamus.

Qua ratione examinãda sint nostra poemata ueterum exemplo, caput uigesimumnonum.

QVo facilius, & commodius perfectum epigramma componere queamus, & diligentiam expoliendi adhibere erit utilissimum conferre rem eandem a diuersis

diuersis poetis explicatam, ut quomodo hic assequatur decorum, qua in re ille fuerit mancus, intelligamus: ut in alienis erroribus cautiores efficiamur, et aliorum periculis faciamus de nostro ingenio periculum. Sic fiet ut animaduersis uirtutibus aliorum, et quorundam cognitis uitijs prudentiores euadamus. Iuuat etiam studio attentare, an aliqua quae ueteres sunt complexi, melius dici potuerint; quod tunc inspicimus, ubi quasi Penelopes telam reteximus. Verbi gratia. Describat Virgilius tempestatem, describant alij eisdem numeris, & forma compositionis; certent inter se: adhibeamur nos iudices, canant ipsi inter se, nos ut Palaemon canentes audiamus. Incipit Virgilius in 1. Aeneidos.

Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Vna Eurusque, Notusq; ruunt, creberq; procellis,
Africus, & uastos uoluunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorq; uirum, stridorq; rudentum
Eripiunt subito nubes, coelumque, diemque
Teucrorum ex oculis ponto non incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus aether,
Praesentemque uiris intentant omnia mortem.

Audimus horrorem tempestatis nō modo re ipsa, quae exponitur, sed numeris ad eam rem aptis, exquisitis dictionibus, litteris, & syllabis, nihil ut elegantius posset describi & ante oculos poni. Audiamus Ouid.

Cum

Cum mare sub noctem tumidis albescere coepit
Fluctibus, & praeceps spirare ualentius Eurus
Ardua iam dudum dimittite cornua rector
Clamat, & antennis totum subducite malum,
Hic iubet impediunt aduersae iussa procellae.
Nec sinit audiri uocem fragor aequoris ullam
Hic rapit antennas, quae dum sine lege geruntur
Aspera surgit hiems.

Conferamus inter se hos duos eandem rem pingentes. Non eo animo ut tam simus amentes, ut ueterum scripta uelimus reprehendere, qui utinam aliquando possimus satis admirari, praesertim ingeniosissimi poetae Ouidij. Sed tamen quia nemo est tam exigui ingenij, qui si duas res in eodem genere inter se conferat nesciat statuere, utra praestantior sit, & excellentior: ut possimus addiscere & bonos imitari utriusque carmina expendemus. Nec uero mirandum erit, si cum de epigrammate agamus, Heroica carmina ad examinandũ proponamus. Nam cum in id semel incumbamus, ut suis numeris absolutum epigramma qui fieri possit, ostẽdere conemur: nec habeamus duos, qui epigramma cõposuerint eadem de re, & materia; ostendenda certe fuit ratio in poetis recte imitandi, et emendandi nostra iudicio, & ratione. Nam hinc facile perspiciemus, quà ratione nostra possimus expolire. Quocirca nemo nostrum

60

ſtrum hoc ſtudium reprehẽdat, nemo accuſet induſtriã: Adhibemur iudices, feramus ſententiam de re, nomen poetae ſubtrahamus in praeſentia, ne manibus Ouidij iniuriam uideamur facere. Quamuis ille ſane ſi uixiſſet, ut erat ingenio, & copia, ſingulari, ita certe iudicio, & conſilio erat futurus ſolerti in emendando, quod ipſe de ſe teſtatur.

Emendaturus ſi licuiſſet eram.

Ferat ergo Palaemon ſententiam auditis duobus poetis, diuino altero, altero ingenioſiſſimo. Certe rem expendet Palaemon, & eo magis admirabitur illius cantum, quo magis attenderit: tantumque ineſſe in eo concentum, ut uix ſonus huius audiatur: intelligit: illum tam eſſe cultum, proprium, concinnum, ut lucem huic praeripiat. In primis tempeſtatis principium non minax, languet potius, & iacet, albeſcit enim unda etiã minima tempeſtate. Hoc uero non uidetur ſtare poſſe recte, ſub noctem coepit albeſcere, & iam dudum rector clamat. Aut dormiebant nautae aut imperium recuſabant, qui alioqui minimo ſigno ſoliti ſunt per foros curſitare. At illud quomodo cohaeret, modo coepit mare albeſcere, iam fragor impedit nautas ne uocem audiant: iam procellae illos retardant ne poſſint uela colligere: tam erant inexperti, ut illico redderẽtur amentes? Ibi alias uteretur ſpondeis ad tarditatem. Hic iu

bet

bet impediunt aduersae iussa procellae : ut rem numeris significaret. Si hic rapit antennas, quomodo sine lege geruntur? & quomodo aspera surgit hiems? concinnior ille, uenustior, elegantior, non modo re, sed numeris, uerbis ipsis quot litteras caninas. R. ad illum horrorem, quot. s. ad sibilum quem uenti exprimunt : quid cum audimus.

Insequitur clamorq; uirum, stridorque rudentum. Nullum est uerbum ubi non sit. R. & uersus ipse pronuntiatus tempestatem ponit ob oculos; nonne illud caelumq; diemq; exprimit uim tempestatis? quid illud ponto nox concubat atra. Ille uersus bis interruptus in monosyllabis cum collisione non significat illam intempestae noctis assiduam fulgurum iactationem interruptis nubibus? Omitto reliqua ne sim multus. Lucanum eandem rem canentem audiamus libro quinto.

Inde ruunt toto concita pericula mundo
Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo
Core mouens aestus, iam te tollente furebat
Pontus, & in scopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit,
Et dubium pendet uento cui pareat aequor,
Sed Scythici uicit rabies Aquilonis & undas
Torsit, & abstrusas penitus uada fecit arenas,
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus cori frangit mare, motaque possunt
Aequora subductis etiam concurrere uentis,

Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Aeolij tacuisse Notum *sub carcere saxi*
Crediderim, cunctos solita de parte ruentes
Defendisse suas uiolento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco, nam parua procellis
Aequora rapta ferunt, Aegaeas transit in undas
Tyrrhenum, sonat Ionio uagus Adria ponto.
Ah quoties frustra pulsatos aequore montes
Obruit illa dies, quam celsa cacumina pessum
Tellus iusta dedit; non ullo litore surgunt
Tam ualidi fluctus, alioque ex orbe uoluti
A magno uenere mari, mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus.

Audiuimus canentem, iudicet ergo Palaemon an dignus hic uitula, & ille. Rem ubi examinarit trutina aequa, non dubito quin iudicet monstra potius eum peperisse, quam partum formatum, suisque conflatum membris, ordine, & ratione concinnum. Furere sene uidetur, non currere; sine habenis efferri huc, atque illuc, nec posse consistere: nescit resecare siluescentes frondes, ut fructus maturescant, & colorentur suo sole, & decoro. Quae inopia ingenij est eadem saepius inculcare, nec uariare nomina: nec cohibere animi ardorem dummodo efferuescenti cupiditati satisfaciat, in nugas desinere? quater paucis uersibus inculcatur nomen pontus; bis repetitur Vox Mare. quater aequora, ter pontus; ter Boreas, ter unda,

da, bis fluctus, ter pelagus, & alia, ubi Neptunus, ubi Doris, Thetis, Nereus, marmor, salum, fretum, Amphitrite, & cetera? Puderet bonum poetam tam breui spatio interiecto toties eadem nomina repetere. Quanto breuius ille rem amplificat, ut magis exaggerari non possit; hic dum uult extollere imminuit. Quam inepte tot hyperbolas: quam ridiculum illud de incredibili inundatione. Quae, & quanta repugnantia in dictis? Durum sane coercetur à molliori? Quae insania Corum opponere Boreae? qui enim retundit Boreas pelagus motum à Coro? Nam uterque adiacet septentrioni: Boreas quidem à latere uersus exortum solis: Corus uero à latere eiusdem uersus occasum. Itaque quicunque eorum impellat fluctus, ab alio repelli non possunt. Maioribus subiungit minora. Dicit adeo extolli mare uentis, ut imbrem in nubibus accipiat, atque usque adeo efferri, ut hauriat pluuias antequam decidant; deinde addit, nubila tanguntur uelis. Quorsum fit Apostrophe ad Corum? quorsum illa tarditas in uento, quasi inuitus ueniat exerit Atlanteo? Quid hoc mouens aestas, deinde furebat pontus, & erexerat undas? Cui occurrit Boreas? ob quam rem pendet aequor dubium? An interea dum deliberat, cui debeat obtemperare, nō est tempestas? quae uerba cum suis substantiuis quam humilia, quam non apta, nec propria; qui fieri potest, ut Tyrrhenum mare transeat an Aegaeū cum antequam illi coniungant fit aliud interiectū, aliudq;

sortitum nomen. Quae nugae sunt hae? qui numeri? sanè si haec illa subtili bilance uelimus expendere hominis amentis esse potius putabimus, quam boni poetae; & eius qui dum gloriolam uult aucupari, ambireque famam admirantium quorundam, colligat stultitiae suae testes. Vides igitur quãtum intersit inter compositionem illius, & huius congeriem, & aceruum rerum. Disce hac ratione superflua amputare, in rebus tibi non contradicere, nõ ponere repugnantia, non amplificando maioribus minora subiungere, non contraria, non inculcare uoces easdem, non improprie loqui, non refarcire quibuscunque uerbis uersum; sed decore omnia, ita ut unum uerbum si tollas aut mutes corruat & canor ille uersus, & sententia infringatur. Vocemus alio nomine in iudicium iterum Virgilium alia in causa, & re illi conferamus alios in eadem materia, ut qui ille excellat, alij sint inferiores uidere possimus, & ad eam praestantiam nostra epigrammata accõmodare. Libro tertio Georgico. de Tauro sic Virgilius.

Pascitur, & magna silua formosa iuuenca,
Illi alternantes multa ui praelia miscent
Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis;
Versaque in obnixos, urgentur cornua, uasto
Cum gemitu reboant siluaeque & magnus Olympus.
Nec mos bellantes una stabulare; sed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris
Multa gemens, ignominiam, plagasque superbi

Victoris,

Victoris, tum quos amisit inultus amores.:
Et stabula aspectans regnis excessit auitis.
Ergo omni cura uires exercet, & inter
Dura iacet pernox instrato saxa cubili
Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta:
Et tentat sese: atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco, uentos que lacessit
Ictibus: & sparsa ad pugnam proluit arena.
Post ubi collectum robur, uires que receptae:
Signa mouet, praeceps oblitum fertur in hostem.

Audire licet canentem iam Lucanum eadem de re in libro secundo.

Pulsus ut armentis primo certamine taurus;
Siluarum secreta petit, uacuos que per agros
Exul in aduersis explorat cornua truncis.
Nec redit impastus, nisi cum ceruice recepta
Excussi placuere tori, mox reddita uictor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris,
Inuito pastore trahit. ———

Audiamus duos alios poetas eandem rem canentes, quibus auditis facile erit cognoscere, quis eorū modulatius, & dulcius canat, & naturae rei accōmodatius. Statius in libro secundo Thebaidos, sic.

——— Veluti dux taurus amata
Valle carens, pulsum solito, quem gramine uictor
Iussit ab erepta longe mugire iuuenca:

Cum profugo placuere tori, ceruix que recepto
Sanguine magna redit: fractae que in corpore uires;
Bella cupit; saltus que & capta armenta reposcit.
Jam pede, iam cornu melior. pauet ille reuersum
Victor: & attoniti uix agnouere magistri.

Audiamus mox Valerium Flaccum libro secundo Argonauticon.

----- qualis per pascua uictor
Jngreditur, tum colla tumens, tum celsior ore
Taurus, ubi assueti pecoris stabula alta reuisit,
Et patrium nemus, & bello quos ultus amores.

Nescio qui sonus, & qui concentus remaneant in auribus illius primis carminibus, ut etiam auditis his, nõ effluxerit illa armonia. An quia ille rem intuitus, & naturam tauri melius cantum accommodarit rebus ipsis? An quia uenustius, & concinnius singula sit complexus? An quia sincerius loquitur, & proprius? An quia numerosior illius oratio quaesito modis ipsis decoro? An quia ita suis omnibus absoluta numeris nihil nec mens in re, nec aures in concentu requirant? Jlla mihi ita iucunda uidentur ut spiritu suo, & succo sese insinuent in animũ, influant, delectent. Ubi audio Lucanum languidum nescio quid sentiunt aures, & frigidum; Deinde pingue sane sonans, ut qui enim fieri potest ut taurus uictor comitetur alios tauros, at illud ceruice recepta nescio an proprie dicatur. Statius hunc imitatus multa uerba illius transtu-

tranſtulit, quo rem deterius perſequeretur. Flaccus ſane melius, quia magis accedit ad maieſtatem Virgilianam: ſed tamen longo interuallo ſuperat ille taurus hos tenuibus uiribus iuuencos. Quoniam & mature omnia, & d. core profert, uerba propria, res naturae conſentaneas, nu meros idoneos, filum dicendi non alienum, non effutit quidquid in buccam uenit, ſed quid rei conueniat, & loco attendit. Faciamus periculum alia in re, ut melius intelligatur hoc, quod uolumus, ut totum hoc negotium abſoluamus. Virgilius de quo libro tertio Georgico.

Continuo pecoris generoſi pullus in aruis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit
Primus, & ire uiam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto,
Nec uanos horret ſtrepitus; illi ardua ceruix,
Argutumque caput, breuis aluus, obeſaque terga,
Luxuriatque toris animoſum pectus; honeſti
Spadices, glaucique. & mox.
----Tum ſiqua ſonum procul arma dedere
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens uoluit ſub naribus ignem.
Denſa iuba, & dextra iactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos ſpina cauatque
Tellurem, & ſolido grauiter ſonat ungula cornu
Et mox.
Iamque humiles, iamque elati, ſublime uidentur

Aera

Aera per uacuum ferri, atque assurgere in auras,
Nec mora, nec requies ---

Lucanus in quarto.

Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulsu, rigidos uexantia frenos
Ora tenens, spargitque iubas, & surrigit aures
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa iacet ceruix, fumant sudoribus artus,
Oraque proiecta squallent arentia lingua,
Pectora rauca gemunt, quae creber anhelitus urget,
Et defecta grauis longe trahit ilia pulsus,
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis
Iamque gradum neque uerberibus, stimulisq; coacti,
Nec quamuis crebris iussi calcaribus addunt.

Silius Italicus in libro decimo.

Sic ubi prosiluit Pisaeo carcere praeceps
Ante suos it uictor equus, curritque per auras
Non solum ante alios, sed etiam (mirabile dictu)
Haud ulli durant uisus aequare uolantem.

Claudianus in Nuptijs Honorij.

Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitauit odor, tumidus, quatiensque decoras
Curuata ceruice iubas Pharsalia rura
Peruolat, & notus tinnitu flagitat annos
Naribus accensis, mulcet fecunda magistros
Spes gregis, & pulchro gaudent armenta marito.

Primus,

Primus, & ultimus hic aures demulcent magis quam illi duo intermedij: certe quia inest in illorum cantu aliquid, quod & animum iucunda rei expositione excitet, & aures suaui concentu recreet, & intimos sensus influat. Ac de Virgilio nemo dubitat quin hoc, & in quouis certamine, ut generosus equus palmam reportet, qui iam metas absolutionis totius contingat, cum alij ne dum carceribus egrediantur; ut uere sit ille generosus equus de quo ipse tam suauiter canit.

Iamque humilis, iamque elatus sublime uidetur
Aera per uacuum ferri atque assurgere in auras.
Nec mora, nec requies.

Ita rebus accommodat ingenium, ita numeris utitur idoneis, uerbis proprijs, locutionibus in rem aptis; nihil ut requiras: At Lucano si Dij qualem dederunt mentem, dedissent facultatem praeclare certe cum bono, & sonora quaedam amante poeta actum esset. Sed unum illud non probabit, qui legerit Virgilium, peregrinitatem quandam, & sermonis quasi quandam improprietatem, qui quatit saxa, quomodo ferit ora uexantia frenos, quid pugnat non stare tumultu pedum, quid subrigit aures, & spargit iubar, & fessa iacet ceruix. Quid illud ora proiecta squalent arentia lingua, hoc diceret de cane in medio calore solis;

quae dissonant, nec numerorum legibus quadrant, nec concinne dicuntur, oblitera, muta, adde, deme, uerte, expende, & male formatos redde iterum incudi uersus, nihil nisi perfectum ama: Cetera contemne.

Quomodo explicari debeat res uel iam ab alijs tractata, uel noua, caput trigesimum.

QVI aliquid praeclarum in arte poetica sunt assecuti omnes sese ad imitationem composuerunt: sed duo illa requiruntur ars, & natura, ut Horatius admonet in arte poetica; quonam nec studium sine diuite uena, nec rude quid prodest ingenium. Vtraque res coniuncta uberrimos fructus affert. Si enim Zeuxis ille Heracleotes dum Crotoniatis Helenam uult effingere, quo uenustiorem formaret, plures uirgines unum in locum uoluit conuenire, ut ex qualibet aliquid praeclarum in imagine sua imitaretur, aequum certe est nos illos naturae optimos opifices imitari, ita tamen, ut quid deceat uideamus. Est imitatio studium quoddam comparandi similitudinem excellentium scriptorum: sed hanc nolo seruitutem esse, nihil ut possis de tuo addere: quoniam hac ratione ni-

hil admiratione dignum unquam efficies. Volo in studio cum ueteribus curras, sed nolo ut pedem ponas in eorum uestigijs, quia nec praeeuntem consequeris, nec palmas reportabis unquam, & de ijs, qui huic seruituti sunt addicti est accipiẽda illa Horatij sẽtẽtia.

O imitatores seruum pecus.

Quod etiam significat in arte

Nec desilies imitator in arctum.

Sed ex alia parte non ita tamen naturae facultatem euagari sines, ut omnia de tuo parum, aut nihil imitando alios componas. Sed serua hanc legem. si tractaueris aliquid ab alijs poetis iam explicatum; dabis diligenter operam, ut non fumum ex fulgure, sed ex fumo dare lucem cogites: elabora omni animi contentione, ut illis splendorem adiungas, tenebras non offundas; adde uenustatem, elegantiam, numeros, alioqui non aggrediaris sed nouam materiam assume. Vide quemadmodum Virgilius tractet eandem rem ab alio poeta, non modo Graeco, sed Latino tractatam, nec tamen det fumum ex fulgure: sed cum omnium iudicio sit Valerius Catullus, ut quam maxime cultus; longo tamen interuallo superatur a Virgilio in ea re, in qua hic illum est imitatus. Nam Catullum imitatus Virgilius in quarto certe uicit. Ariadnae namque lamentum exprimit in sua Didone;

sed

ſed quanto elegantius, quanto prudentius, quod ex utroque tu facile coniicies. Sic Catullus in carmine de nuptijs Pelei, & Thetidos, introducit Ariadnam accuſantem Theſeum.

Siccine me patrijs abductam perfide ab oris
Perfide deſerto liquiſti in littore Theſeu.
Siccine diſcedens neglecto numine Diuum
Immemor ah deuota domum periuria portas?
Nulla ne res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium? tibi nulla fuit clementia praeſto.
Immite ut noſtri uellet miſereſcere pectus?
At non haec quondam blanda promiſſa dediſti
Voce mihi; non hoc miſeram ſperare iubebas,
Sed connubia laeta, ſed optatos Hymenaeos:
Quae cuncta aerij diſcerpunt irrita uenti.
Tum, iam nulla uiro iuranti femina credat:
Nulla uiri ſperet ſermones eſſe fideles.
Qui dum aliquid cupiẽs animus praegeſtit apiſci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidae mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te medio uerſantem turbine leti
Eripui, & potius germanam amittere creui
Quam tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſe.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque

Praeda,

67

Praeda, nec iniecta tumulabor mortua terra.
Quae nam te genuit sola sub rupe leena?
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
Quae syrtis, quae scylla uorax, q̃ uasta carybdis?
Talia qui reddis pro dulci praemia uita,
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeua quod horrebas prisci praecepta parentis:
Attamen in uestras potu isti ducere sedes,
Quae tibi iucundo famularer, cerua labore.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror aruis
Externata malo, quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt; aut reddere uoces.
Ille autem prope iam medijs uersatur in undis:
Nec quisquam apparet uacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeua
Fors etiam nostris inuidit questibus aures.
Iupiter omnipotens, utinam nec tempore primo
Gnosia cecropiae tetigissent litora puppes.
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset nauita funem.
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilium nostris quaesisset sedibus hospes.
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Isthmeneos ne petam montes? At gurgite lato
Discernens patriam truculentum diuidit aequor.

An

An patris auxilium ſperem? quem ne ipſa reliqui,
Reſperſum uiuerem paterna caede ſecuta.
Coniugis an fido conſoler memet amore?
Qui ne fugit lentos incuruans gurgite remos?
Praetereo litus, nullo ſola inſula tecto.
Nec patet egreſſus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugae ratio, nulla ſpes; omnia muta,
Omnia ſunt deſerta: oſtentant omnia letum.
Non tamen ante mihi langueſcent lumina morte,
Nec prius a feſſo ſecedent corpore ſenſus,
Quam iuſtam a Diuis expoſcam prodita multam.
Caeleſtumque fidem poſtrema comprecer hora.
Quare facta uirum multantes uindice poena
Eumenides, quibus anguineo redemita capillo
Frons expirantis praeportat pectoris iras,
Huc huc aduentate, meas audite querelas.
Quas ego ue miſerae extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens amenti coeca furore.
Quae quoniam uere naſcuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati noſtrum uaneſcere luctum:
Sed quali ſolam Theſeus me mente reliquit,
Tali mente Deae funeſtet ſeque, ſuosque.

Haec Virgilius intuitus Didonem ſuam in Aeneam ita loquentem introducit.

Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum

Poſſe

Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, neque te data dextera quondã,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem?
Et medijs properas Aquilonibus ire per altum
Crudelis, quid? si non arua aliena, domosque
Ignotus peteres, & Troia antiqua maneret?
Troia per undisonum peteretur classibus aequor.
Me ne fugis? per ego has lacrimas, dextrãq; tuã te
Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui.
Per connubia nostra, per inceptos Hymeneos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum, miserere domus labentis, & istam
Oro (si quis adhuc precibus locus) exue mentem
Te propter libycae gentes, Nomadumque Tyranni
Odere, infensi Tyrij te propter eundem;
Extinctus pudor, & qua sola sidera: adibam
Fama prior, cui me morientem deseris hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniunge restat.
Quid moror? an me Pygmaliõ dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Getulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles: si quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret,
Non equidem omnino capta, aut deserta uiderer.

Nec

Nec tibi Diua parens, gñis, nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nã quid dissimulo, aut quae me ad maura reseruo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Nũ lacrimas uictus dedit, aut miseratus amãtẽ est?
Quae quibus anteferã? Iam iã nec maxima Iuno,
Ned saturnius haec oculis pater aspicit aequis.
Nusquam tuta fides, eiectum litore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui,
Amissam classem, socios à morte reduxi.
Heu furijs incensa feror, nunc augur Apollo,
Nunc lyciae sortes, nunc & Ioue missus ab alto
Interpres Diuum fert horrida iussa per auras.
Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat; nec te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam uentis, pete regna per undas.
Spero equidem medijs (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Saepe uocaturum; sequar atris ignibus absens.
Et cum frigida mors anima seduxerit artus
Omnibus umbra locis adero. dabis improbe poenas.
Audiã, & haec manes ueniet mihi fama sub imos.

Multa alia deinde subiungit uenustissime, quae tu leges in quarto, ut intelligas quomodo imitari debeas,

O dum

dum eandem rem tractas, quam tractarunt iam ante te alij ueteres poetae. Maro certe nihil est aggressus, in quo non haberet, quem imitando sequeretur ducem, ac ideo eam laudem est consequutus, ut et si Theocriti Siculi poetae non potuit assequi sales, acumen, uim, superarit tamen longo interuallo Hesiodum, Homerove par potius fuerit, & aequalis, quam inferior. Nihil ego sane puto esse causae cur Ouidius Naso singularis ingenij, & copiae uberrimae uir, non singularem tamen fuerit consecutus in scribendo gloriam; nisi quod tantum naturae suae indulgere uoluit, ut nimia eius copia tanquam extra ripas difflueret; quae certe poetarum bonorum imitatione fuit coercenda, ut pares fructus opinioni de se concitatae afferret. Si aggressus fueris genus componendi nouum, uide qui poetae ueteres adipiscantur laudem compositionis, & ijs utere legibus in tua scriptione, aut non dissimilibus. Abstinebis a fabulis in epigrammate quantum fieri poterit: quoniam in antiquis nullus iam est lepor: in nouis quia ignotae odium potius. Pro fabulis sint sententiae dulces, graues, nouae, iucundae, placidae, non languidae, non affectatae, non nimis frequentes. Illas dum numeris includis adhibe iudicium. Paruas sententias numerorum genere include paruo, maiores Elegiaco, siue Heroico uersu, & sic de ceteris. Ne inferas